

S O L U M P A T R I S F I L I I

Rudolphus Brajčić, S.J.
Zagreb, Yugoslavia

SUMMARIUM

I. Actiones ad extra sunt totius Trinitatis ideoque adoptare homines in filios Dei convenit toti Trinitati. Propterea homo per gratiam non tantum Patris, sed etiam Filii et Spiritus Sancti filius est, id est *totius* Trinitatis. Quam doctrinam veterum nonnulli recentiores theologi, qui sive structuram Corporis Christi mystici intimius penetrare sive theologiam kermatice concipere student, relinquunt affirmantque nos *solius Patris* per gratiam filios fieri. Tria argumenta, quibus sententia recentiorum commendatur, evolvuntur: A) *Ex unitate patris nostri adoptantis*. S. Scriptura docet, Patrem nostrum caelestem unum esse. Cum autem Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ut unum, non sit persona stricto sensu, pater vero per adoptionem adeptus persona stricto sensu sit oportet, certo concluditur, totam Trinitatem non esse patrem nostrum. Restat ergo, ut prima Persona ut distincta ab aliis personis pater noster caelestis sit. B) *Ex nostra cum Christo unione*. In nostra sanctificatione unionem cum Christo obtinemus atque per hanc unionem in Filio Dei sumus. Cum vero «esse in Filio» adoptari a Filii Patre significet, in nostra sanctificatione solius Patris filii evadimus. C) *Ex nostra cum Christo fraternitate*. S. Scriptura (Mt. 25,40: «Et respondens rex dicit illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his *fratribus meis minimis*, nihil fecistis.» —Io.20,17: «Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad *fratres meos*, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.» —R. 8, 29: «Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri

imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.») docet, nos per gratiam adoptionis fratres fieri Christi. Quia vero fratres sunt filii *eiusdem* patris, nobis et Christo *idem* pater sit oportet. Hoc autem fieri potest unice prima persona SS. Trinitatis.

II. Contra thesim, iuxta quam solum Patris sumus filii, nonnulli textus S. Scripturae adduci possunt, qui contrarium affirmant atque illud principium «actiones ad extra sunt totius Trinitatis». Diversi textus, qui contra nostram thesim adduci possunt, ad tria genera apte reducuntur: a) textus, qui nos filios *Dei* appellant, b) textus, qui nos filios *Verbi* proclamant, c) textus, qui nos *ex Deo* natos vocant. Qui textus omnes proponuntur et difficultates ex illis promanantes solvuntur. Dein principium illud «actiones ad extra sunt totius Trinitatis» non obstare, quin tantum prima Persona noster pater sit, ostenditur sic: Actio adoptionis est totius Trinitatis. Ratione huius actionis relationem habemus ad totam Trinitatem, ut *unum productorem* gratiae et ad Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ut ad *tres producentes* gratiam. Quatenus haec relatio terminatur ad Patrem ut *producentem* gratiam, haec relatio habet rationem filiationis adoptivae, quia Pater per gratiam similes nos facit Filio suo naturali. Eadem relatio, quatenus terminatur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, ut producentes gratiam, non habet rationem filiationis adoptivae, quia Filius et Spiritus Sanctus per gratiam nos non faciunt «ad imaginem Filii sui».

I

Ad effectus formales gratias sanctificantis etiam filiatio Dei adoptiva pertinet. De exsistentia huius filiationis, quae in S. Scriptura, Traditione et Magisterio ecclesiastico alte radicata est, inter catholicos dissentiens non invenitur. De subiecto vero, cuius per gratiam filii evadamus adoptivi, non est eadem inter theologos sententia.

Maxima pars theologorum Lombardo et Sto. Thoma ducibus affirmat, nos per gratiam totius Trinitatis filios fieri. «Homo vero, qui filius Dei est factura: non tantum Patris, sed et Filii et Spiritus Sancti filius est, id est totius Trinitatis...» (1). Quamvis «autem generare in divinis sit proprium personae

1. Lib. sent. I, dist. 26.

Patris: tamen facere quemcumque effectum in creaturis est commune toti Trinitati propter unitatem naturae... et ideo adoptare homines in filios Dei convenit toti Trinitati.» (2). Quam affirmationem nonnulli auctores modificare student. Ita Thomassinus in tractatu suo christologico dicit, quod, tametsi nostram adoptionem tota operetur Trinitas, tamen «*specialius* solus Verbi Pater nobis Pater sit.» (3). P. Galtier S.I. in tractatu suo trinitario hanc ponit thesim: Pater adeo est, in Trinitate, personae primae nomen proprium, ut nulla alia, etiam ratione nostrae adoptionis communis, vocari possit «Pater noster». (4). Intentio huius auctoris, ut ex thesis explicatione sequitur, non est affirmare, nos solius Patris esse filios, sed, non obstante nostra adoptione communi, solam primam personam de *facto vocandam esse* «Pater noster», ob huius personae denominationem stricto personalem.

At si filii adoptivi totius Trinitatis sumus, nos per gratiam *in familiam* Trinitatis intrare vix dici potest. In hac enim sententia nulla datur relatio, ad Patrem, ut personam distinctam a Filio neque ulla relatio ad Filium, prout est distinctus a Patre et Spiritu Sancto. Omnes tres divinae personae, quatenus sunt Deus, sunt etiam noster pater.

Recentiori tempore hanc, ut ita dicam, «deisticam structuram» nostrae adoptionis nonnulli theologi relinquere student. Huic «deisticae» structurae aliam substituere exoptant structuram, quam vocare possumus «structuram trinitariam».

Optimum exemplum trinitariae huiusmodi structurae in praxim deductae ipse Christus praebuit. Licet enim homo fuerit et ut homo Trinitati honorem exhibere bonaque omnia a Trinitate expectare debuerit, semper tamen Patrem honorat et a Patre bona sibi exorat. «Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.» (I. 11,41). «Pater, salvifica me ex hac hora.» (I. 12,27). «Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum.» (I. 14,16). «Sicut et ego Patris mei praecepta servavi.» (I. 15,10). «Pater sancte, conserva eos in nomine tuo quos dedisti mihi: ut sint unum sicut et nos... Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.» (I. 17, 11; 21,24). «Pater mi, si possi-

2. Summa theol. 3, q.33, a. 2, c.

3. De Incarnatione, lib VIII, c. IX, n. VII.

4. De SS. Trinitate in se et in nobis. Parisiis, 1933, p. 231.

bile est, transeat a me calix iste» (Mt. 26,30). «Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.» (L. 23,46).

Ecce exemplar vitae internae filiorum Dei, quod nobis sedulo sequendum est, si nos, sicut Christus, filii solius Patris sumus.

Insuper fideles cum Christo in unum Corpus mysticum coalescunt. Cuius Corporis caput est Christus, Filius Patris, nos autem membra. Quodsi membra sunt filii totius Trinitatis, nemo est, qui non videat, Caput et membra corporis diversae quodammodo naturae esse. Quodsi vero etiam membra simul cum Capite sunt filii eiusdem Patris, et unitas et homogeneitas Corporis Christi patet. Hoc in casu Caput et membra vinculo fraternitatis unita sunt in unum Corpus. Ex hac homogeneitate pulcherima surgit conceptio Corporis Christi mystici, ut *unici Filii Patris*. Cum enim hoc Corpus, caput et membra, nihil aliud sit nisi unus Christus, Christus vero Filius Patris, caput et membra sunt unus Filius Patris. Hoc exprimere *solius Patris* per gratiam fieri filios. Ita E. Mersch, S. I., intendunt illa Augustini verba: «Quia filii Dei corpus sunt unici Filii Dei et cum ille caput, nos membra, unus est Filius Dei.» (5). Haec conceptio sine dubio inepta evadit, si membra non sunt filii eiusdem illius Patris, cuius et Christus est Filius, sed si sunt filii Trinitatis et proinde ipsius Christi. Corpus itaque Christi mysticum ut unus Filius Patris recte et plene intelligi potest tantum in suppositione, si membra eiusdem Patris filii sunt, cuius et Christus est, et si caput cum membris vinculo coalescit verae fraternitatis.

Propterea nihil mirum si theologi inveniuntur qui simpliciter negant, nos totius Trinitatis esse filios et affirmant nos *solius Patris* per gratiam fieri filios. Ita E. Mersch, S. I., facta inquisitione in Sacram Scripturam et Traditionem, nos «filios in Filio» i. e. filios solius Patris per gratiam fieri probat. (6). C. Rahner, S. I. in articulo quodam ostendit, Sacram Scripturam egregie favere opinioni, iuxta quam nos filios primae tantum Personae esse. (7).

Hanc alteram sententiam, iuxta quam nos *solius Patris*, *nullo modo totius Trinitatis* esse filios, defendere intendimus.

Argumenta ex Sacra Scriptura NT sumimus. In nostra

5. In epistolam Ioannis, Tract. 10, n. 3. ML 35.

6. Filii in Filio. Nouvelle revue theologique, a. 1938, n. 5,6,7.

7. «Gott» als erste trinitarische Person. ZkTh. 66, (1942) 71.

vero argumentatione hanc observamus methodum: 1. ex S. Scriptura determinatam haurimus veritatem, et 2. ab hac veritate ope principiorum tum rationis tum fidei ad nostram ascendimus thesim.

A. NON NATURAE, SED PERSONAE FILII

In Deo sunt tres divinae Personae in numerice una subsistentes natura. Triplex igitur fingi potest subiectum, quod vocari posset «Pater noster»: 1. Omnes tres Personae, quatenus sunt distinctae inter se. In hac suppositione tres essent nostri patres, sicut et divinae Personae sunt tres; 2. Tota Trinitas, ut unus Deus. In hac suppositione unus esset Pater noster caelestis, sicut et unus Deus est; 3. Una tantum Persona, quatenus distincta est ab aliis Personis. In hac suppositione una de tribus divinis Personis est noster Pater.

Prima suppositio nequit admitti eo, quod Sacra Scriptura docet, unum esse Patrem nostrum caelestem, non autem tres.

Secunda suppositio satisfacit quidem Sacrae Scripturae, quatenus in hac suppositione revera unus esset Pater noster, sed tamen admitti nequit eo, quod pater adoptans, quem Sacra Scriptura unum esse dicit, persona esse debet, Trinitas vero, ut unus Deus, non est persona.

Remanet itaque tantum tertia hypothesis possibilis. Quodsi aliqua tantum de tribus personis divinis vocanda est Pater noster, patet, non esse hoc modo vocandam personam Filii, nec personam Spiritus Sancti, sed personam Patris, quem Sacra Scriptura toties «Pater noster» vocat.

Unde totius argumenti vis consistit in probandis sequentibus veritatibus:

1. Secundum Sacram Scripturam unus est «Pater noster» caelestis
2. Pater caelestis, quem Sacra Scriptura unum esse dicit, persona esse debet
3. Trinitas, ut unum, non est persona.

1. Secundum Sacram Scripturam unus est «Pater noster»

Haec veritas, a qua nostri argumenti exordium sumitur, a Sacra Scriptura clare docetur a nemineque in dubium vocatur. Ideoque brevis conspectus Sacrae Scripturae de hac re sufficiat.

Circa quadragies explicitus sermo de nostro Patre caelesti in Sacra Scriptura occurrit. In omnibus his locis sermo est de uno nostro Patre, non de pluribus. Ecce nonnulla de his testimoniis:

Unus est noster Pater, qui providet nobis: «Pater autem vester scit, quoniam his indigetis.» (L. 12, 30; Mt. 6, 8.32). *Unus* est noster Pater, qui est remunerator operis nostri boni in abscondito peracti: «Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.» (Mt.6, 4; 6. 18.). *Unus* est Pater noster, cuius perfectionem imitari monemur: «Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est.» (Mt. 48; L. 6, 36. Joan 8, 38. 41.). *Unus* est Pater noster, qui dimittit nobis peccata nostra ad modum, quo nos aliis hominibus dimittimus: «Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis Pater vester caelestis delicta vestra.» (Mt.6, 14; Mc. 11, 25.). *Unus* est Pater noster, qui volatilibus caeli escam procurat: «Respice volatilia caeli quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester caelestis pascit illa.» (Mt.6,26; Mt.10,29). *Unus* est Pater noster, cuius bonitas et amor erga nos superat bonitatem patris nostri naturalis: «Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?» (Mt. 7,11; Lc. 1,13.) *Unus* est Pater noster, ad cuius regnum ordinati sumus: «Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.» (Lc. 12, 32). *Unus* est noster Pater, ad cuius gloriam opera nostra ordinanda sunt: «Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.» (Mt.5.16.). *Unus* est Pater noster, quem orare iubemur: «Pater noster, qui est in caelis.» (Mt. 6,9; Lc. 11, 2). *Unus* est Pater noster, ad quem Spiritus adoptionis in nobis clamat: Aba, Pater (R.8, 15, Gal. 4,6). *Unus* est Pater noster, a quo toties apostolus Paulus primis christianis pacem et gratiam exposcit: «Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.» (R. 1,7; 1C. 1,3; 2C.1,2; E. 1,2; Phil. 1,2; Col. 1,2; Thes. 1,2; Philem. 1,3).

His realibus testimoniis Sacrae Scripturae de unitate nostri Patris caelestis accedit formale de eadem re testimonium a Christo Domino prolatum: «Et patrem nolite vocare vobis super terram: *unus est enim Pater vester, qui est in caelis.*» (Mt. 23,9).

His testimoniis Sacrae Scripturae exclusa est hypothesis, secundum quam plures essent patres caelestes. Isdem vero testimoniis excluditur etiam hypothesis, secundum quam filii essemus Trinitatis. Pater enim noster caelestis, quem Scriptura unum praedicat, persona esse debet, quod Trinitas, ut unus Deus, non est.

2. Pater caelestis, quem Sacra Scriptura unum esse dicit, persona esse debet

Pater noster caelestis est noster pater per adoptionem. Sicut filatio adoptiva nihil aliud est nisi participatio quaedam filiationis naturalis, ita et paternitas per adoptionem nihil aliud est nisi quaedam participatio paternitatis naturalis. Paternitas vero naturalis est relatio efficiens ipsum suppositum seu personam, non autem naturam. Non enim natura proprie dicitur pater, sed persona habens naturam. Paternitas sicut et filatio est qualitas personae, non naturae. Quod de paternitate valet naturali, idem salva proportione de paternitate per adoptionem, quae paternitatis naturalis est imago, valere debet. Haec sicut et illa proprietas est personae. Quodsi vero paternitas per adoptionem afficit personam, id quod non est persona, subiectum paternitatis esse non potest. Hanc ob causam dicimus, Patrem nostrum caelestem debere personam esse.

Quae his dictis de paternitate, ut qualitate personae breviter indicavimus, fusius nunc exponemus. Expositio nostra erit secundum Suaresium, qui in Disputationibus metaphysicis, de relatione in communi agens, fere omnia, ad naturam paternitatis pertinentia, docet. (1).

Omnis relatio requirit aliquod subiectum, cui inhaereat. Animadvertere autem oportet nos posse loqui de relatione in abstracto et de relatione in concreto. Sic ex. gr. paternitas, filatio, similitudo sunt relationes in abstracto; pater autem, filius, similis sunt relationes in concreto. Cum ergo dicitur relationem requirere subiectum, de relatione in abstracto id intelligendum est. Relativum enim in concreto, si formaliter sumatur, ut relativum est, proprie non habet subiectum, sed potius ipsum est quid constans ex subiecto et relatione. ex.gr. simile = subiectum habens similitudinem.

De subiecto relationis in abstracto haec dicenda sunt: Sicut unum accidens potest proxime alteri accidenti inesse et

1. Suarez, Disputationes metaphysicae, Disp. 47, Sect. 6-12.

non attingere substantiam in se, sed solum mediante illo accidente, cui inhaereat, sic etiam una relatio inmediate in aliquo subiecto accidentali inesse potest et remote in alio vel in substantia. Unde eiusdem relationis plura subiecta possunt distinguui: unum proximum, aliud remotum. Ita relatio aequalitatis proxime est in quantitate, remote in substantia; et relatio similitudinis proxime est in qualitate, remote in quantitate, remotissime in substantia. Sed tamen relatio, quae pluribus inest subiectis non semper de illis praedicatur eo ordine, quo illis inest. Quandoque relatio afficit solummodo subiectum proximum, cui inest, non autem subiectum remotum, et de illo, non de hoc praedicatur: sic intellectus dicitur referri relatione potentiae ad suum actum, anima vero non item. Quandoque relatio denominat eodem modo subiectum proximum et subiectum remotum atque aequaliter de utroque praedicatur: sic et quantitas dicitur aequalis et substantia materialis pariter. Quandoque vero relatio afficit subiectum remotum seu ipsum suppositum, non proximum, et tantum de illo, non de hoc praedicatur: sic filiatio afficit personam filii, quamvis non sit in ea nisi mediante natura et paternitas proxime dicitur esse in potentia generandi et tamen relatio paternitatis non afficit potentiam sed personam, quia haec dicitur pater, non illa. Quodsi huius diversitatis causam inquiris, Suaresius illam hoc modo describit: «Ratio autem huius varietatis provenit ex diversitate fundamentorum, quae aliquando secundum eandem proportionem comparantur ad terminos relationum, aliquando vero secundum diversam... Aliquando etiam provenit ex eo quod relatio consequitur suum proximum fundamentum, et illud denominat, non prout afficit vel denominat aliud subiectum, sed secundum suam praecisam et abstractam rationem, quomodo accidenti convenit relatio inhaerendi; interdum vero relatio consequitur fundamentum, solum prout afficit vel denominat tale subiectum aut suppositum, interdum vero indifferenter sub utraque ratione.» (2).

Paternitas itaque inest potentiae generandi, denominat vero personam, quae habet potentiam, non autem ipsam potentiam. Quomodo autem paternitas inest potentiae generandi et quomodo personam denominat?

Relatio paternitatis est de secundo genere relationum.

2. o.c. Disp. 47, Sect. 6, n. 6.

In primo genere sunt relationes, quae fundantur in unitate vel multitudine, ut sunt relationes similitudinis, aequalitatis; identitatis, diversitatis quantitativae.

In secundo genere sunt relationes, quae fundantur in potentia agendi et patiendi vel in actionibus earum, ut sunt relationes calefactivi ad calefactibile, calefacientis ad calefactum.

In tertio genere sunt relationes mensurabilis ad mensuram, ut sunt relatio scientiae ad scibile, intellectus ad intelligibile, aspectus ad spectabile. Paternitas, utpote relatio de secundo genere relationum, fundatur in potentia agendi. Circa hanc autem «considerandum est, alium esse terminum realem relationis potentiae activae ut sic abstrahendo ab actione, a termino potentiae activae, ut subest actioni, seu ut facientis; nam prior terminus est potentia passiva, et alioqui non potest esse terminus realis; posterior vero est ipse effectus, ut iam fluens a potentia agente. Rursus vero addit Aristoteles, hanc relationem, quae fundatur in potentia sub actione, variari iuxta varias temporis differentias; alia enim fundantur in praesenti actione, ut relatio aedificantis, calefacientis, etc; alia in actione *praeterita*, ut relatio patris; et alia in actione futura, ut quod facturum est ad id quod faciendum est...» (3). Paternitas itaque fundatur in actione praeterita. Quomodo autem relatio permanens, ut est paternitas, fundari potest in actione praeterita, quae iam pertransiit? Dicendum vero est, paternitatem non fundari in actione generativa ut in proprio fundamento cui insit, aut a quo habeat suam entitatem, sed illam actionem esse rationem fundandi paternitatem, quatenus est conditio requisita ut talis relatio resultet. «Contingit vero in aliquibus relationibus, ut praeter totam entitatem subiecti et fundamentum requiratur aliqua alia conditio medians inter fundamentum et terminum, et re ipsa aliquo modo distincta ab ipsis, ut possit inter ea consurgere relatio. Atque hoc modo est necessaria actio vel generatio, ad relationem agentis seu patris.. Quod enim huiusmodi conditio sit simpliciter necessaria, explicari facile potest in actione, nam si Petrus et Paulus (qui nunc sunt pater et filius) essent immediate creati a Deo cum omnibus proprietatibus absolutis, quas nunc habent, si inter esos non intervenisset actio generationis et processio- nis unius ab alio, non fuisset inter esos exorta relatio nec de

3. o.c. Disp. 47, Sect. 10, n. 3.

potentia absoluta fieri posset ut oriretur; nunc vero, adiuncta sola illa conditione statim resultat relatio; ergo est illa conditio simpliciter necessaria. Et tamen non est fundamentum, per hanc vocem intelligendo illud in quo, et a quo relatio proxime habet entitatem suam. Unde factum est ut talis conditio, ratio fundandi appellata sit...» (4). Controvertitur vero in quo principio proxime insit relatio paternitatis, quae insurgit in causa (Petro), quatenus peculiariter influxit in effectum (Paulum), utrum in potentia proxima accidentali aut in principali et substantiali. Suaresius putat eam proxime inesse ipsi substantiae medio principio principali, nam inquit: «In supposito, filiationis relatio sine dubio afficit immediate ipsam substantiam, vel etiam ipsum suppositum, ut multi volunt. Ergo cum hae relationes sibi proportionate respondeant, etiam relatio paternitatis proxime afficit substantiale principium, eique identificatur. Item, quia separato quolibet accidente realiter distincto, etiam per potentiam Dei, si maneat substantiale suppositum, quod genuit et quod genitum est, durat relatio paternitatis, alioqui nulla superest ratio ad ponendam illam, nam ille homo vere ac propriissime dicitur pater; ergo signum est hanc relationem esse intime in ipsa substantia. Tandem est hoc maxime consentaneum modo denominandi eius, nam solum denominat ipsum suppositum principaliter operans.» (5). Relatio paternitatis itaque proxime inest non potentiae accidentali sed substantiali seu naturae, sicut et filiatio proxime inest ipsi naturae. Tamen non licet ex hoc concludere relationem paternitatis denominare ipsam naturam seu de illa posse praedicari. Sicut enim natura non potest vocari filia, ita nec pater nominari potest. Quodsi autem natura non potest pater nominari nec subiectum paternitatis dici potest, quia «pater» nihil aliud est nisi compositum ex relatione et subiecto eius. Immediatum itaque subiectum paternitatis est ipsa persona. Unde «esse pater» non est denominatio, quae conveniat immediate naturae et mediante illa tantum hypostasi tanquam ultimo attributionis subiecto, sed quae per se primo afficit hypostasim. Quodsi autem dicatur paternitatem proxime inesse naturae seu principio substantiali eique identificari, ut Suaresius dicit, id non est intelligendum ac si natura subiectum huius relationis esset, sed id tantum significat, naturam esse fundamentum seu causam, ob quam

4. o.c. Disp. 47, Sect. 7, n. 12.

5. o.c. Disp. 47, Sect. 12, n. 5.

aliqua hypostasis referri dicatur relatione paternitatis. Unicum subiectum paternitatis persona dici debet. Unde S. Thomas simpliciter docet, paternitatem esse «relationem personae». (6).

Pater ergo est qualitas personae, non naturae, seu pater persona esse debet. Id valet sine dubio de patre, qui per generationem fit pater. Valetne autem idem de patre, qui fit per adoptionem? Quia paternitas ex adoptione surgens nihil aliud est nisi participatio quaedam paternitatis naturalis, sicut haec, ita etiam illa tantum personae relatio esse potest. Participans enim necesse est, ut habeat naturam participati. Huic accedit et alia ratio petita ex analogia filiationis adoptivae. Filiatio enim adoptiva est proprietas personae sicut filiatio naturalis. Si autem hae duae relationes, paternitatis scil. et filiationis, proportionate sibi in ordine naturali respondeant, cur in ordine adoptionis sibi non responderent? Filiationi ergo adoptivae ut relationi personali paternitas adoptiva ut relatio personalis correspondere debet.

Verbum Incarnatum est eximium exemplum ad illustrandum, quomodo filiatio et paternitas sint relationes personae, non naturae.

Verbum incarnatum in duplici existit natura: divina et humana. Humana natura clare distinguitur a persona Verbi, a qua assumpta est: Et haec natura humana Verbi ornata est gratia sanctificante. Quodsi autem quaeratur, utrum Verbum sit filius Dei adoptivus per gratiam, negative respondetur. Ratio est, quia «filiatio proprie convenit hypostasi, vel personae, non autem naturae: unde et in prima parte dictum est (Q.33. art. 1.2. et 3), quod filiatio est proprietas personalis; in Christo autem non est alia persona, vel hypostasis, ac increata, cui convenit esse filium per naturam: dictum est autem supra (ant.praec.), quod filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis: non autem recipitur, aliquid dici participative, quod per se dicitur: et ideo Christus, qui est filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus.» (7). Ratio itaque ultima, cur Christus non sit filius Dei adoptivus, est, quia natura Christi humana, quae caret propria personalitate, subiectum filiationis adoptivae esse non potest, persona vero Verbi, cui natura humana Christi unita est, nullo

6. Summa theol. I, q. 33, a.2, ad 1.

7. Summa theol. III, q. 23, a.4,c.

modo habet respectu Patris illam extraneitatem, quam importat adoptio. Eandem rem optime explicat card. Billot: «Filiatio non est denominatio, quae conveniat immediate naturae, et mediate tantum hypostasi tanquam ultimo attributionis subiecto, sed quae per se primo afficit hypostasim. Nam, si causam filiationis requiras, recte communicationem naturae assignas; si autem subiectum cui ipsa filiationis relatio nata est convenire, sic non assignatur nisi sola hypostasis. Hinc fit ut nusquam, et ne improprie quidem, natura etiam singularis, filii appellationem suscipere possit. Quis enim, quaeso, ferret naturam dici filiam, tametsi dicatur rationalis, corporea, facta, subiecta, imo et serva? Si ergo Christus diceretur filius adoptivus, haec denominatio non caderet in personam eius, mediante natura humana, sicut cum Filius Dei dicitur mortuus, passus etc., sed primo et immediate afficeret suppositum. Atqui suppositum Christi nullo modo habet, respectu Patris, illam extraneitatem quam importat adoptio.» (8). Vides, quomodo filiatio adoptiva sit proprietas personalis.

Iterum, quia filiatio est proprietas personae non naturae, nativitas temporalis Christi ex Beata Maria Virgine non causat in Christo temporalem filiationem realem. Ad objectionem, quod nativitas temporalis Christi causat in eo filiationem realem, S. Thomas id impossibile esse dicit, quia nec natura humana ullo modo potest esse subiectum filiationis, nec persona Verbi filiationis temporalis. «Nativitas causaret in Christo temporalem filiationem realem, si esset ibi subiectum huiusmodi filiationis capax; quod quidem esse non potest: ipsum enim suppositum aeternum non potest esse susceptivum relationis temporalis, ut dictum est (in corp. art.): nec potest dici; quod sit susceptivum filiationis temporalis ratione humanae naturae, sicut etiam et temporalis nativitatis; quia oporteret, naturam humanam aliquammodo esse subiectum filiationi, sicut est aliquammodo subiecta nativitati, cum enim Aethiops dicitur albus ratione dentis, oportet quod Aethiopsis dens sit albedinis subiectum: *natura autem humana nullo modo potest esse subiectum filiationis*; quia haec relatio directe respicit personam.» (9). Iterum vides, quomodo filiatio sit proprietas personae et quid hoc significet.

8. Billot Ludovicus, S.I., De Verbo Incarnato. 1895. P. 308.

9. Summa theol. III, q. 35, a. 5, ad 1.

Quae in Christo possunt observari de filiatione, similiter et de relatione paternitatis, non quidem observari, sed fingi possunt. Si enim Christus, ut homo, secundum naturam suam humanam adoptasset Ioannem, quis Ioannis fuisset pater? Natura humana Christi vel persona Verbi? Quia natura humana subiectum paternitatis esse non potest, sicut nec filiationis, natura Christi humana nullo modo pater Ioannis fuisset. Pater Ioannis fuisset persona Verbi, non utique relatione reali se referens ad Ioannem, quia persona increata incapax est realis relationis temporalis, sed relatione, quae cointelligitur relationi filiationis Ioannis ad Christum, sicut etiam Deus dicitur dominus, relatione, quae cointelligitur reali relationi, qua creatura subiicitur Deo. Et quamvis relatio domini non sit realis in Deo; dicitur tamen realiter dominus ex reali subiectione creaturae ad ipsum; sic similiter Christus diceretur realiter pater Ioannis ex relatione reali filiationis Ioannis ad Christum. Haec de paternitate Christi ficta vera esse existimo. Quodsi haec vera sunt, vides, quomodo paternitas sit proprietas personae et quid hoc significet.

His omnibus consideratis patet, cur etiam noster Pater caelestis persona esse debeat. Per gratiam enim nos vere filii adoptivi constituimur. Haec relatio immediate afficit nostram personam. Terminus etiam huius relationis seu pater noster per adoptionem, non natura, sed tantum persona esse potest.

3. Trinitas, ut unum, non est persona

Ostensa veritate de personalitate nostri patris caelestis, probare intendimus, Sanctissimam Trinitatem, quatenus unum et indivisum quid est, non esse personam et proinde nec nostrum patrem per gratiam posse esse.

In Deo tres sunt personae realiter inter se distinctae in numerice una subsistentes natura. Natura, quae tribus communis est personis, nominibus abstractis et concretis exprimi potest. Nomina abstracta, quibus communis natura exprimitur, sunt: deitas, infinitas, sanctitas etc. Nomina concreta, quibus eadem natura exprimitur, sunt: Deus, infinitus, sanctus, omnipotens etc. Nomen abstractum in genere formam significat i.e. naturam seu proprietatem, inquantum sive realiter sive ratione a subiecto, cui inest, distinguitur. Nomen vero concretum significat ipsum subiectum, quod formam possidet. Deitas itaque utpote naturam divinam significans nullo modo per-

sona esse potest. Sed nec Deus i. e. subiectum, quod naturam divinam possidet, persona dici potest. Hoc enim subiectum, licet unum sit, de tribus praedicatur, utpote illis commune. Subiectum istud est identicum cum tribus inter se realiter distinctis. Hinc huiusmodi praedicatio datur: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus; hi autem tres non tres dii, sed unus est Deus. Itaque Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt Deus, quatenus unum quid sunt, in se indivisum, non vero, quatenus sunt inter se ab invicem distincti et proinde nomen Dei significat subiectum indeterminatum commune tribus. Et quia hoc subiectum commune est tribus, et hinc communicabile, ad personam vero requiritur incommunicabilitas, nullo modo hoc subiectum persona dici potest. Ergo natura divina nec abstracte nec concrete considerata persona dici potest. Cum autem Trinitas sit unum quid ratione naturae, nec Trinitas, ut unum, persona esse potest nec proinde pater noster vocari.

Potest quidem natura divina vocari persona absoluta in oppositione ad tres personas relativas —quod non pauci faciunt— at persona tunc intelligitur sensu omnino speciali; natura scilicet rationalis, qua existatur, non quidem incommunicabiliter, sed ad modum substantiae rationalis, ab omni alia substantia distinctae. Itaque in Deo esset, praeter tres personas relativas, insuper quarta, quae absoluta vocatur. Haec quarta persona nihil aliud esset nisi divina natura, quatenus dicit formam rationalem existendi in se ad modum substantiae. Patet, talem personam, quae nihil aliud est nisi ipsa natura divina, non posse esse subiectum relationis *stricte personalis*, ut est paternitas.

Circa praedicta hoc dubium potest oriri: Licet paternitas sit relatio personalis, cur tamen non possit inesse Deo, ut subiecto communi in Trinitate, sed necessario requirat personam *stricte dictam*? Quia paternitas est relatio *stricte personalis*. Ad rem illustrandam exemplum praebemus:

Si per impossibile incarnaretur tota Trinitas et unaquaque persona hypostatice uniretur cum numerice una natura humana, «homo» esset subiectum *commune omnibus* tribus personis sicut et natura humana communis esset tribus. Essetne hoc in casu natura humana a tribus assumpta capax filiationis adoptivae? Si natura humana a Verbo solo assumpta incapax est huius denominationis, non video, cur natura a tribus as-

sumpta, huius denominationes esse capax, quia utriusque naturae par esset conditio. Si autem natura incapax esset huius denominationis, nec subiectum commune tribus i.e. resultans ex tali incarnatione, scilicet homo, huius denominationis capax est. Nomen enim homo nihil aliud, nisi ipsam naturam modo concreto significat. De Christo etiam homo praedicatur, sed hic homo filiationis divinae adoptivae incapax est.

Similiter si Christus, ut homo sensu specificativo formali, adoptaret Ioannem, non natura Christi humana, sed persona Verbi pater esset Ioannis. Si Trinitas incarnata, ut homo, aliquem adoptaret, hic iterum non esset filius naturae humanae, quae in tribus subsisteret, quia natura humana assumpta a solo Verbo et natura humana assumpta ab omnibus tribus divinis personis in eadem est conditione, quoad susceptionem paternitatis. Quis autem esset pater hominis a Trinitate incarnata adoptati? Ad hanc quaestionem hoc in loco non damus responsum. Indicare enim nobis sufficiebat naturam humanam a tribus divinis personis assumptam, denominationem patris adoptati non posse accipere. Sicut autem natura humana a tribus assumpta non posset esse subiectum paternitatis, ita nec natura divina ullo modo nominari potest pater.

Quodsi natura divina non potest esse pater noster nec tota Trinitas hoc nomine vocari potest. Restat igitur, ut pater noster sola prima Persona sanctissimae Trinitatis dicatur, quam S. Scriptura hoc nomine toties appellat.

B. FILII PER UNIONEM CUM FILIO

Argumentum ex nostra cum Christo unione sat longe evoluit E. Mersch S.I. in articulo, cui titulus: «Fili in Filio» (1). Nobis tamen superfluum fore non videbatur, si ex eadem hac ratione argumentum novo modo conficiamus.

Argumentum ab unione nostra cum Christo initium sumit. Haec enim unio non est solum moralis, quae vinculis socialibus mutique amoris absolveretur, sed est insuper unio organica, non utique ordinis naturalis, sed ordinis supernaturalis-mystici. Quodsi ita est, in nostra sanctificatione naturae Christi humanae organice iungimur simulque cum illa in persona Filii consistimus. Cum vero secundum genuinum concep-

1. E. Mersch, S.I., Fili in Filio. Nouvelle revue théol., t.65 (1938), n. 5,6,7, pp. 551-582, 681-702, 809-830.

tum adoptionis adoptare significet personam extraneam in locum filii naturalis collocare, concluditur, nostram collocacionem in Filio esse formaliter adoptionem ex parte Patris proindeque nos non totius Trinitatis, sed solius Patris esse filios.

Unde totius argumenti vis consistit in probandis sequentibus veritatibus:

1. In nostra sanctificatione Christo organice iungimur.
2. Per organicam unionem cum Christo in Filio Dei sumus.
3. Esse in Filio Dei significat adoptari a Patre Filii.

1. In nostra sanctificatione Christo organice iungimur

Quae pars argumentationis nostrae cum positiva sit, ex Sacra Scriptura haurienda est. Sacra vero Scriptura hac de re sufficienter loquitur locutionisque huius rectus sensus post editam de Corpore Christi mystico encyclicam facile reperitur. Nostra enim cum Christo unio, de qua in articulo hoc agitur, in Corpore Christi mystico est realizata et per idem Corpus nobis illucescit. Unde ad scripturistice illam demonstrandam, sufficit delineare doctrinae de hoc Corpore summam.

Secundum Scripturam:

1. Fideles in unum Corpus coalescunt. «Omnes nos in unum corpus baptizati sumus», ita ut «corpus Christi» simus (1 C. 12, 4-30). Cum panis ille eucharisticus unus sit, omnes «qui de uno pane participamus» «unum corpus multi sumus» i.e. unum efformamus supernaturale corpus Christi. (1C.10, 14-21). Quia corpora baptizatorum «membra sunt Christi», non licet ea reddere membra meretricis seu unum corpus efformare cum meretrice. (1C.6, 12-20). «Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christe, singuli autem alter alterius membra» (R.12,4-6).

2. Huius Corporis caput Christus est, in quod omnes crescere debemus. «Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.» (E. 1,22-23). Christus est caput corporis scl. Ecclesiae, ex quo totum corpus permultiplices contactus et iuncturas «subministratum» (C.1,18-24) crescere debet «in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.» (E. 4,13). Quemadmodum igitur a capite vis manat, qua singulae corporis partes ad functiones proprias apte exe-

quendas moventur, ita etiam ex Christi Domini plenitudine in omnes iustificatos divina virtus et gratia ad spirituale eorum emolumentum diffunditur. «Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et conexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.» (E. 4,15-16). Ipse vero Christus nobis se ostendit «vitem veram», e cuius virtute vitali nos palmites supernaturaliter vivimus et supernaturales fructus ferimus. (I. 15, 1-11).

3. Membra huius Corporis sunt ii, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur. «Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi sive liberi.» (1C. 12,13).

Per baptismum itaque Christo capiti tamquam membra copulamur et connectimur in unum corpus coalescentes. Exstat ergo inter Christum et fideles unio organica «arctissima». (2) Qualis est haec unio? Cum unio inter partes naturam sequatur totius, natura Corporis Christi mystici inspicienda est.

Corpus Christi mysticum imprimis non est corpus physicum, ut notat encyclica *Mystici Corporis Christi*. (3) Deest enim huic Corpori tale unitatis principium, quod ita partes iungeret, ut propria subsistentia singulae prorsus carerent. Huius enim Corporis membra singula ita sunt copulata, ut unumquodque suam propriam retineat personalitatem verumque maneat suppositum. Non est ergo inter Christum et fideles unio physica. Sed neque unio mere moralis inter eos viget, ut commemorata encyclica pariter docet. (4) In corpore enim morali nihil aliud est unitatis principium, nisi finis communis, communisque in hunc finem per socialem auctoritatem conspiratio. In mystico vero Corpore «conspirationi huic internum aliud adiungitur principium, quod tam in universa compage, quam in singulis eius partibus reapse existens virtuteque pollens, talis est excellentiae, ut ratione sui omnia unitatis vincula, quibus vel physicum vel morale corpus copuletur, in immensum prorsus evincat. Hoc est, ut supra diximus, aliquid non naturalis, sed superni ordinis, immo in semet ipso infinitum omnino atque increatum: Divinus nempe Spiritus, qui, ut ait

2. Encyclica «*Mystici Corporis Christi*», 29. iun. 1943, n. 67.

3. *Ibid.*, n. 59.

4. *Ibid.*, n. 60.

Angelicus, «unus et idem numero, totam Ecclesiam replet et unit.» (5)

Unio ergo organica, quae inter Christum et fideles viget, neque est mere moralis, neque simpliciter physica, etsi et hanc ratione supernaturalitatis sui principii superet. Ex hoc non sequitur, eam non esse obiectivo-realem, sed mere idealem. Illa certe realissima est i.e. constituta per nexus ontologicos independenter a mentis consideratione, etsi plena eius intelligentia, ob mysterium in quo versamur, nobis non sit possibilis. Ad nostrum interim finem obtinendum scire sufficit, eam esse realem, maiorem morali vinculo, non attingentem vero corporis physici unitatem.

2. Per organicam unionem cum Christo in Filio Dei sumus

Quia Christus qua homo seu ratione naturae humanae nostrum est Caput mysticum, nostra unio cum Christo in Christi natura humana suum immediatum terminum habeat oportet. Esse unitus cum Christo Capite idem est ac esse unitus cum humana Christi natura. Cum autem humana Christi natura unita sit cum persona Filii Dei, immediate copulati huic naturae, eandem personam Filii Dei *mediate* attingimus. Ut vero haec nostra unio cum persona Filii Dei plane pateat, conditio naturae humanae in Christo, quatenus noster scopus exigit, inspicienda est.

In Christo natura divina et natura humana hypostatice unitae sunt ita, ut Christus sit una persona in duabus naturis inconfusis. Natura humana in hac unione sua personalitate caret subsistitque in persona Verbi. Haec unio naturae humanae cum Verbo est supernaturalis. Etenim talis unio naturam creatam ad ordinem divinum elevat atque eam substantialiter perficit. Quia enim naturae humanae naturaliter competit esse in persona creata, causata ex principiis humanae naturae, esse in persona Verbi illi competere non potest nisi per gratuitum donum supernaturale, gratiam scl. unionis. Hoc dono obtento dicere possumus, huic naturae competere in persona Verbi esse, non quidem ratione ipsius naturae, sed ratione eius elevationis. Ad hanc conditionem naturae Christi humanae melius penetrandam quemdam Sti. Thomae articulum adducere iuvat, in quo sibi ponit quaestionem: Utrum haec sit vera

5. Ibid., n. 60.

«Christus, secundum quod homo, est persona»? Ad quam quaestionem hoc modo respondet:

«Respondeo dicendum, quod, supra dictum est, iste terminus, homo, in reduplicatione positus, potest accipi vel ratione suppositi, vel ratione naturae. Cum ergo dicitur: Christus, secundum quod homo, est persona, si accipiatur ratione suppositi, manifestum est quod Christus, secundum quod homo, est persona, quia suppositum humanae naturae nihil aliud est quam persona Filii Dei. Si autem accipiatur ratione naturae, sic potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut intelligatur, quod naturae humanae competat esse in aliqua persona. Et hoc etiam modo verum est: omne enim, quod subsistit in humana natura, est persona. Alio modo potest intelligi, ut naturae humanae in Christo propria personalitas debeat, causata ex principiis humanae naturae. Et sic Christus, secundum quod homo, non est persona, quia humana natura non est per se seorsum subsistens a divina natura, quod requirit ratio personae.» (6)

Licet ergo humana Christi natura propria personalitate careat, tamen exigentiam suam naturalem, ut sit in persona, retinuit ita, ut Christus, qua homo *sensu formali*, quodammodo i. e. *exigitive* sit persona, quatenus nempe natura humana exigit, ut in persona subsistat. Quid enim aliud significant verba Sti. Thomae: «Si autem accipiatur ratione naturae» i. e. *sensu formali*, uno modo potest intelligi «quod naturae humanae competat esse in aliqua persona. Et hoc etiam modo verum est (Christum scilicet qua hominem *sensu formali* esse personam): omne enim quod subsistit in humana natura, est persona»? Quia vero natura Christi humana per unionem hypostaticam est elevata, ut sit in persona divina, exigentia eius simul naturalis, ut sit in persona est elevata ita, ut natura Christi humana ratione unionis hypostaticae exigit, ut sit in persona *divina*. Hoc in sensu dicere possumus, Christum, ut hominem *sensu formali esse exigitive personam divinam*, quatenus nempe naturae Christi humanae hypostatice unitae competit, ut in persona sit divina. Si autem loco personae divinae persona Filii Dei, in qua de facto natura Christi humana subsistit, ponatur, dicere debemus, Christum qua hominem *sensu formali esse exigitive Filium Dei naturalem*.

6. S. Thomas. Summa theol. III, q. 16, a. 12, c.

Inest ergo naturae Christi humanae ratione unionis hypostaticae competentia seu exigentia supernaturalis, ut in persona Filii seu in Filio insit. Necesse vero est, nos per unionem cum Christi humana natura hanc competentiam seu exigentiam participare ita, ut etiam nobis in eodem competat esse Filio, in cuius persona natura Christi humana subsistit. Hoc sensu una cum natura Christi humana in persona sumus Verbi. Haec nostra unio cum persona Filii non est immediata, sed mediata, mediante scilicet natura Christi humana; non naturalis, sed supernaturalis et ratione gratiae unionis ex parte naturae Christi humanae, per quam uniti sumus Filio et ratione doni supernaturalis, quod fideles cum Christi humana natura unit. Haec nostra unio cum persona Filii neque simpliciter physica, neque mere moralis est, sed tamen realis et in ordine ontologico naturam sequens nostrae unionis cum Christi humanitate. Talis autem coniunctio fidelium cum persona Filii adoptionem eorum ex parte Patris significare videtur, quod in sequenti explicare conabimur.

3. Esse in Filio significat adoptari a Patre Filii

Hoc tertio numero probare intendimus, nostram praedictam collocationem in Filio esse formaliter adoptionem etquidem ex parte solius Patris. Ad hunc finem obtinendum examinandus est primo conceptus adoptionis cum speciali respectu ad eiusdem effectum formalem.

In iure romano (7) duplex adoptionis species datur: arrogatio et simplex adoptio.

Arrogatio fit auctoritate principis. Principis auctoritate adoptare aliquis potest eos, qui sui iuris sunt. Simplex adoptio fit imperio magistratus. Imperio magistratus adoptantur ii, qui in potestate parentum sunt; sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius sive inferiorem, qualis est ex. gr. nepos.

In arrogatione arrogatus semper transit in potestatem arrogatoris et omnia iura, quae filius habet legitimus et naturalis, habet filius etiam arrogatus. Itaque arrogatio est imitatio filiationis naturalis perfecta: Arrogatus in arrogatoris familiam assumitur et sub potestate patria arrogatoris cons-

7. Cf. Institutionum Iustiniani, lib. 1, tit. 11: De adoptionibus; Codicis Iustiniani, lib. 8, tit. 48: De adoptionibus.

tituitur cum omnibus suis filiis et rebus; ab arrogatore potest alii in adoptionem dari sicut et filius naturalis; succedit patri arrogatori ex intestato et ex testamento. Patria vero potestas, in quam arrogatus transit, in septem consistit, ex quibus nonnulla tantum adducere iuvat: necessitate famis pater filium vendere potest; pater a filio in ius vocari non potest; pater per filium acquirit; pater etiam filio invito sua bona adventitia administrat etc.

In adoptione simplici adoptatus non transit in potestatem adoptantis; retinet iura succedendi patri suo naturali et ex testamento et ex intestato et contra testamentum; in bonis vero adoptantis non succedit nisi solum ab intestato nec tenetur adoptans aliquid de bonis suis in testamento ei dimittere nisi velit. Unde haec adoptio magis est dispositio quaedam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecto sensu. (8)

Quoad adoptantis conditionem in iure romano haec inveniuntur: 1. Mulier non potest adoptare aliquem in filium nisi permissu principis in solatium filiorum amissorum. 2. Spadones, qui generare non possunt, adoptare possunt; castrati vero adoptare non possunt. 3. Iunior non potest adoptare seniore, sed adoptatus adoptantem tempore praecedat oportet saltem duodeviginti annorum, ita ut filius eius naturalis esse possit.

Finis praecipuus adoptionis est solatium illorum, qui liberos non habent, etsi illi quoque, qui liberis carent, adoptare possint.

Similes ordinationes circa adoptionem inveniuntur in iure germanico (9), austriaco (10), helvetico (11) et in aliis iuribus.

E subiecta materia sequentes adoptionis causae designari possent:

Causa *materialis* adoptionis est persona extranea i.e. non habens a natura illum modum iuris seu conditionis ad quam assumitur. In arrogatione, quae sola est vera et perfecta adoptio, haec persona sui iuris esse debet.

Causa *efficiens* adoptionis est pater adoptans per actionem legalem assumens aliquem in filium et haeredem. Haec assumptio gratis fiat necesse est, nam, si fiat titulo oneroso, venditio erit vel simile quid, minime vero adoptio. Adoptio enim non datur ex debito, sed ex indulgentia.

8. Cf. S. Thomas. Summa theol. Supl. q. 57, a. 1, c.

9. BGB FF 1741-72.

10. ABG parágs. 179-186.

11. Schw. Zivilgesetzb., Art. 264-69.

Effectus *formalis* adoptionis generaliter loquendo est id, quod ex adoptione adoptatus accipit. Ordinarie docetur, adoptione ius acquiri ad haereditatem, quia ante hoc ius nullum esse communicatur ei, qui adoptatur, neque aliquod aliud bonum proprium filii. Ita ex. gr. Suarez (12). Adoptione acquiri ius ad haereditatem nemo negare potest, quia adoptio sine dubio ordinata est lege ad haereditatis successionem. Sed iure meritoque poni potest quaestio, utrum praeter ius ad haereditatem aliquod aliud bonum ex adoptione oriatur necne? Certe etiam aliquod aliud bonum oriri debet, quia, ut monet Lercher, ius haereditatis fundare filiationem aliquam falso affirmatur, nam etiam ille, qui nullo modo est filius, haeres bonorum alicuius esse potest (13). Si ergo ex actione adoptiva sequeretur in eo, qui adoptatur, ius tantum ad haereditatem, nondum filius adoptivus efficeretur. Quid est illud aliud bonum, quod ex adoptione sequitur? Dispositio iuris, ut vidimus, ordinat arrogatione, quae est adoptio vera, non tantum ius acquiri ad haereditatem, sed etiam transitum fieri adoptati in potestatem patriam adoptantis et adoptatum fieri membrum familiae adoptantis. Qui transitus adoptati in potestatem patriam adoptantis et incorporatio eius in familiam adoptantis sine dubio est bonum formaliter exurgens ex adoptione. Suppeditatur ergo adoptione aliquod aliud bonum proprium filii naturalis praeter ius ad haereditatem, hocce bonum est incorporatio in familiam adoptantis seu transitus adoptati in potestatem curamque adoptantis. Utrum inter incorporationem in familiam adoptantis et transitum in eius patriam potestatem distinctio sit aliqua, non expedit hoc loco examinare. Haec duo ut realiter unum bonum perpendimus, ratione vero distincta, et propterea dicimus: adoptatus per adoptionem praeter ius ad haereditatem aliud quoque bonum acquirit, quod est incorporatio in familiam adoptantis. Duplex ergo effectus formalis adoptionis exstat: incorporatio in familiam adoptantis et ius ad haereditatem.

Qualis ordo sit inter hos effectus? Primo notandum, haec duo separabilia esse ab invicem. Ius enim haereditatis in aliquo exsistere potest, quin ipse ullo modo filius sit illius, cui succedat. Incorporatio vero in familiam semper coniunctum

12. Suarez. De incarnatione, q. 23, a. 1, Comment. r[ati]o. 6.

13. Lercher. Institutiones theologiae dogmaticae. Vol. 111³ (1942), n. 146, obi. 5.

sibi ius habet ad haereditatem. Unde concludendum est, haec duo diversa inter se esse, quia ab invicem separari possunt. Insuper deinceps concludere possumus, primarium effectum adoptionis incorporationem esse in familiam, quam ius ad haereditatem supponit et ex qua connaturaliter sequitur. Sicut in generatione naturali filius ratione prius nascitur tamquam membrum familiae, tum demum tamquam subiectum iuris huius familiae, ita etiam in adoptione adoptatus ratione prius incorporatur in familiam adoptantis ac dein accipit ius ad haereditatem. Et sicut in filiatione naturali coniunctio filii cum patre constituit in filio ius ad participationem bonorum paternorum et ad eorum successionem, ita etiam in adoptione incorporatio in familiam adoptantis fundamenta iacit iuris in adoptato ad haereditatem in bonis patris adoptantis. Unde in iure recte ius ad haereditatem secundo loco nominatur, assumptio vero in familiam primo loco assignatur.

Causa *finalis* adoptionis est solatium illorum, qui liberos non habent, et successio haereditatis.

Causa *exemplaris* adoptionis est generatio naturalis, quatenus adoptio nihil aliud nisi adumbratio quaedam et similitudo filiationis sit. Sicut in generatione naturali pater et filius in unitate sunt coniunctionis naturalis, per quam filius pertinet ad patrem, ita etiam in adoptione adoptans et adoptatus in unitate sunt morali, per quam adoptatus ad adoptantem pertinet. Sicut in naturali generatione ex unitate naturali patris et filii communio oritur bonorum, qua in filio ius ad haereditatem fundatur, ita in adoptione cum unione morali adoptati et adoptantis quasi connaturaliter nectitur ius adoptati ad haereditatem.

Haud difficile ex dictis intelligitur definitio adoptionis:

Assumptio gratuita personae extraneae in locum filii cum iure ad haereditatem.

Postquam conceptum adoptionis examinavimus, probandum est 1. nostram collocationem in Filio esse formaliter adoptionem et 2. hanc adoptionem seu filiationem terminari in solo Patre.

1. Nostra collocatio in Filio est formaliter adoptio, si per hanc nostram unionem cum Filio effectus formales adoptionis obtinemus. Per hanc vero unionem nos primum effectum adoptionis, incorporationem scilicet in familiam divinam, consequi absque ullo dubio est. Praedicta enim incorporatio in

Filium idem est ac incorporatio in familiam divinam, ad quam Filius pertinet, nam hac unione data iam non sumus personae Deo extraneae. Qui Filio non est extraneus neque Deo seu Trinitati extraneus fieri potest. Insuper deinde, qui ita incorporatus est in familiam divinam, vere incorporatus est ut filius adoptivus, ad quem pertinet, ut non qualemcumque locum in familia occupet, sed locum filii naturalis. Uniti vero personae Filii locum filii in familia divina vere tenemus. Uniti enim sumus Corpori Christi seu Filii Dei, non autem Corpori Spiritus Sancti. Notandum est etiam, per hanc unionem excellentiore modo fieri incorporationem in familiam, quam per communem adoptionem, in qua unio tam arcta cum filio non habeatur. In adoptione communi sufficit personam extraneam adducere in *locum* filii i. e. conditionem filii naturalis nullaque intima coniunctio cum filio naturali requiritur. In illa filius adoptatus filio naturali in ordine ontologico extraneus prorsus remanet. In hac vero incorporatione nos cum Filio naturali quodammodo identificamur, etsi personae distinctae remaneamus.

Facile itaque perspicimus, quomodo per nostram cum Christo unionem in familiam Dei intremus seu primum effectum adoptionis obtineamus. Utrum etiam secundum effectum adoptionis, ius scl. ad haereditatem, per eandem obtinemus unionem necne? Quia cum Christo unionem *per baptismalem characterem formaliter* obtinemus et quia gratia sanctificans, per quam haeredes Dei constituimur, diversa sit a characterem, obici potest: Licet per nostram cum Christo unionem primum effectum adoptionis i. e. incorporationem in familiam divinam obtineamus, tamen per hanc unionem haeredes Dei formaliter non evadimus proindeque nec adoptionem, ad quam haereditas necesse est pertineat, adipiscimur. Verum quidem est, gratiam et formaliter et realiter esse extra characterem. Attamen gratia non est prorsus seiuncta a characterem. Character enim ius exigitivum gratiae secumfert et proinde, etiamsi per unionem cum Christo characterem obtentam nondum simus per gratiam sanctificati, ad hanc tamen sanctificationem ius habemus seu haec sanctificatio naturaliter ex nostra unione cum Christo sequitur, sicut in adoptione communi ex incorporatione in familiam ius sequitur ad haereditatem. Hoc in sensu dicere possumus characterem seu unionem cum Christo, qua in familiam divinam incorporamur, secumferre ipsum ius ad haereditatem caelestem. Quodsi ita est, nostra cum Christo unio nihil nisi

adoptio est, nam haec unio significat in familiam divinam incorporationem, ex qua ius ad haereditatem oritur.

2. Bene autem inspecta natura huius adoptionis concludendum est, hanc nostram adoptionem per unionem cum Filio esse ex parte solius Patris. Ideo enim per hanc unionem adoptamur, quia per illam locum filii in familia divina tenemus. Hunc vero locum filii obtinemus, quatenus in persona sumus Filii. Quia autem eatenus locum filii tenemus, quatenus in persona Filii sumus, relate ad illam personam locum filii tenemus, ad quam et ipse Filius, ratione cuius locum filii tenemus, ut filius refertur. Iam vero haec est sola persona Patris, non autem tota Trinitas.

Ex analysi itaque filiationis adoptivae eiusque applicatione ad nostram cum Christo unionem sequitur nostram collocationem in Filio esse formaliter adoptionem etquidem ex parte solius Patris. In fine huius numeri aliam argumentationem, ex qua idem sequitur, delineare placet.

Participans naturam participati necesse est participet. Cum homo per unionem cum Christo vere in Filio Dei insit sicque eum participet, necessario huius filiationem, quae ad solum est Patrem, participat.

Ne dicas primo: Homo per unionem cum Christo naturam participat Christi humanam, quae divina filiatione caret, non autem ipsum Filium et proinde neque eius filiationem participare potest. — Homo quidem immediate participat naturam Christi humanam, sed *mediante illa et ipsum Filium*, ut in praecedenti explicavimus numero.

Ne dicas secundo: Secundum praedictam argumentationem etiam natura Christi humana Verbi filiationem participare deberet, nam illa per hypostaticam unionem Filium vere participat. — Ad hanc difficultatem sequenti modo respondetur: Participans necessario participat naturam participati eo modo, quo capax est. Iam vero natura Christi humana, cum propria careat personalitate, per Verbi filiationem filius evadere nequit. Homo autem in unione cum Christo propriam retinet personalitatem et proinde capax est participandi Verbi filiationem tamquam qualificationem suae personae.

Ne dicas tertio: Ex hac argumentatione sequitur, nos fieri filios Dei naturales, quia, nos participes filiationis Verbi naturalis esse, asseritur. — Haec argumentatio non asserit nos esse simpliciter participes filiationis Verbi naturalis, sed nos participes huius filiationis eo modo intelligit, quo hanc filiationem

participare possumus. Iam vero hanc filiationem non possumus simpliciter ut filii naturales participare, hoc enim absurdum est, sed ut filii adoptivi tantum, licet haec nostra adoptio per incorporationem in Christum participationemque Verbi multo excellentior, quam adoptio, quae per simplicem gratiam fit, intelligi debeat.

Sic tum e natura paternitatis adoptantis ut proprietatis personalis tum e natura filiationis adoptivae ut incorporationis in familiam adoptantis elucet nos solius Patris esse filios. Nobis insuper videtur et alias dari rationes, quibus eadem veritas probari potest.

C. FILII PATRIS QUIA FRATRES CHRISTI

In Sacra Scriptura NT nostra adoptio minime ut veritas accidentalis et secundaria continetur. Veritas de assumptione hominis in filium et haerodem Dei est illa magna novitas seu nova annuntiatio, quae per os apostolorum in medio mundi pagani apparuit. Eadem veritas a Christo eiusque apostolis praedicata omnes eorum sequaces in «cor unum et animam unam» (Act 4,32) collegit et ex eis eximium fraterni amoris exemplum efformavit. Itaque hanc de nostra adoptione veritatem ad substantiam narrationis evangelicae pertinere sine ulla haesitatione affirmare possumus. A. Harnack, docens Evangelium solummodo «patrem benignum» annuntiare, non falitur, etsi, totam «essentiam christianismi» in experientia interna huius paternitatis ponens, misere errat. (1). Totum Evangelium est in probanda nostra adoptione: nos sumus ex Deo nati (Io 1,13); Deus nobis paternae providet (Mt 6,8 et 32); nostra perefectio consistit in imitatione perfectionis Patris nostri (Mt. 5,48); «Pater noster» in caelum clamare iubemur (Mt. 6,9); Deus nos paterna misericordia prosequitur et accipit (Lc. 15,22-24); caelum est nostra paterna habitatio (Io 14,2). Evangelium hac in re sequuntur reliqui libri NTi maxime vero epistolae Sti Pauli apostoli.

Licet S. Scriptura diversis in locis diversisque modis de nostra adoptione loquatur, tamen nusquam explicitum sermonem de subiecto, quod vocandum sit «Pater noster», instituit. Sed, quamvis S. Scriptura de subiecto, quod vocandum sit «Pater noster», explicita non referat, tamen ex illa certa confici

1. Harnack A. Das Wesen des Christentums, 1900.

possunt argumenta pro affirmatione, nos per adoptionem primae tantum Personae fieri filios.

In praecedentibus capitibus duo argumenta confecimus: ex unicitate nostri patris caelestis et ex nostra cum Christo unione. In praesenti capite argumentum ex nostra cum Christo fraternitate evolvere intendimus.

Quod argumentum duplici elemento constat: facto et principio. Factum esto —nostram cum Christo fraternitatem. Nos per gratiam vere fratres Christi esse primum sit probandum. Hoc facto probato, per principium illud «fratres sunt eiusdem patris filii» ad conclusionem ascendimus, nos per gratiam tantum primae Personae filios esse. Factum illud nostrae cum Christo fraternitatis, utpote factum concretum et particulare ordinis supernaturalis, e Scriptura tantum erui potest. Principium vero de communi patre fratrum e ratione dilucidari et ad illud factum applicari debet.

Quoad factum nostrae fraternitatis duo sunt animadvertenda: *Primo*, Sacram Scripturam quandoque uti nomine fratris sensu metaphorico, non proprio. Quia vero ex propria tantum cum Christo fraternitate sequi potest nostra filiatio ad primam Personam, probandum est, nos iuxta Sacram Scripturam fratres esse Christi proprio, non metaphorico sensu. *Secundo*, Christum esse Verbum Dei incarnatum. Cum autem Christus Verbum Dei incarnatum sit, duplici modo frater noster evadere potest: per assumptionem naturae nostrae e communi stirpe adamitica, et per gratiam. In priore casu fratres Christi sumus naturales in Adamo, veluti omnes homines naturales sint fratres in Adamo. Ex hoc facto recte concludere possumus, nos filios esse naturales Adami. At minime concludere queamus, nos filios esse Dei Patris, cuius Christus ut homo est Filius. Si vero in ordine supernaturalis gratiae Christus est frater noster, possibilitas praebetur probandi, nos filios esse tantum primae Personae Sanctissimae Trinitatis, cuius Christus est etiam Filius. Quia vero nostrum est probare hoc et non illud, nostra fraternitas cum Christo ratione gratiae, non vero ratione communis naturae, e Sacra Scriptura ostendenda est. Unde totum hoc argumentum ex nostra cum Christo fraternitate ita adstrui potest:

1. S. Scriptura nos vere fratres Christi in ordine supernaturali appellat.

2. Ex nostra cum Christo fraternitate supernaturali sequitur, nos esse filios primae tantum Personae.

1. S. Scriptura nos vere fratres Christi in ordine supernaturali appellat

Numerum hunc in tres dividimus paragraphos. In singulis paragraphis determinatus examinatur Sacrae Scripturae textus, qui de nostra cum Christo fraternitate in ordine supernaturali agit.

§ 1. Primus textus considerandus occurrit Mt 25,40: «*Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis, uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*»

Verba haec sunt verba Christi iudicis in ultimo iudicio ovibus, quae a dextris eius erunt, prolatura. In ultimo iudicio Christus primo separabit bonos a malis; bonos statuet a dextris suis, malos autem a sinistris (v. 32-33). Tunc tradet regnum caeleste in possessionem bonis simulque proferet causam praemii illis verbis: «*Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me*» (v.35-36). Boni autem admiratione perculsi profundaque humilitate commoti, eo quod audiant opera sua exigua tanti fieri a Christo, ut ea, quae illi pauperibus Christi amore fecerint, sibi facta Christus existimet, interrogant: «*Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: sitientem etc?*» (v. 37-39). Ad quam quaestionem responsum accipiunt: «*Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*» (v. 40).

Ut ex hoc versiculo Christum esse verum nostrum fratrem in ordine supernaturali probare possimus, duo ostendere debemus: 1. illos, qui in hoc versiculo fratres Christi vocantur, christianos, non autem alios homines, etiam non christianos esse, et 2. istos vero, minime autem metaphorico, sensu fratres Christi vocari.

1. Qui sunt isti, qui hoc in versiculo fratres Christi vocantur?

a) Maxima pars huius versiculi interpretum tenet eos esse nonnullos ex coetu *christiano*. Excluduntur ergo infideles.

Secundum Cornelium a Lapide, Iansenium G., Schanz hoc in versiculo fratres Christi vocantur imprimis apostoli, consequenter vero Christi fideles pauperes.

CORNELIUS a L. «*To HIS proprie denotat Apostolos, et eis similes viros religiosos et apostolicos, qui Christo iudici assidebunt (et in hoc mundo habiti sunt minimi et abiectissimi,*

ac sibi ex humilitate visis sunt omnium minimi) eo quod voluntariam paupertatem spiritus amplexi, totos se Christo Christique fidei praedicatione et cruci manciparint. Consequenter tamen notantur omnes pauperes Christiani, qui regenerati in baptismo gratia effecti sunt filii Dei, ideoque fratres Christi. Ubi nota: infideles et reprobos, licet olim fratres Christi fuerint, hic Christus nec nomine dignos censet: non tamen vetat eis dari elemosynam.» (2).

JANSENIUS G. «Generalius tamen et extensive etiam recte intelliguntur quivis pauperes christiani, qui Christi fratres per baptismum et adoptionis gratiam facti sunt.» (3)

SCHANZ «Fratres Christi sunt apostoli, quos Christus in Mat 28,10 et Jo 20,17 ita vocat. Τῶν ἐλαχίστων non impedit hanc conceptionem, quia et Paulus ita vocat apostolos (1 Cor 4,9). Fratres Christi tamen possunt intelligi et alii Christi fideles, et non omnes, (ut putat Keil), sed pauperes inter eos (ut Origenes, Euthym., Meyer et alii). (4)

Secundum Hieronymum, Bedam, (5) Rabanum Maurum, (6) Paschasium Radb., (7) Maldonatum (8) fratres Christi vocantur christiani, qui sunt pauperes in spiritu. Audiamus tantum s. *Hieronymum*, quem alii sequuntur:

«Libera nobis erat intelligentia, quod in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sitiens potaretur etc. Sed ex hoc quod sequitur: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis, non mihi videtur dixisse generaliter de pauperibus, sed de his, qui pauperes spiritu sunt, ad quos tendens manum dixerat: Fratres mei et mater mea

-
2. Cornelius a Lap. Comment. in Matth., cap. 25, v. 40.
 3. Cornelius Jansenius Gandavensis. Commentaria in Concordiam evangelicam, c. 127.
 4. Paul Schanz. Kommentar über das Evangelium des heiligen Matthäus, Freiburg i. B., 1879, parag. 60. Das Weltgericht, v. 40: « ἐνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν einem dieser Brüder, kann deiktisch auf die Apostel bezogen werden, welche beim Gericht in der Begleitung des Herrn sind und 28, 10, Joh. 20. 17 Brüder Jesu genannt werden. τῶν ἐλαχίστων spricht nicht dagegen, da auch Paulus die Apostel so charakterisierte (1Kor. 4, 9.) und Matth. 5, 19 ἐλάχιστος vom Lehrenden gebraucht wird. Man darf also nur den Begriff Brüder weiter ausdehnen, aber nicht auf alle Gläubigen (Keil), sondern nur auf die Armen un Unglücklichen unter denselben (Orig., Euthym., Meyer ad.) »
 5. Venerabilis Beda. In Matthaei Evangelium expositio, lib. IV, M L 92. 110.
 6. Rabanus Maurus. Comment. in Matthaëum. lib. VII, M L 107. 1097.
 7. S. Paschasius Radbertus. Expositio in Matthaëum, lib. XI, cap. 25, M L 120. 865.
 8. Ioannes Maldonatus. Comment. in Matthaëum, cap. 25, v. 40.

hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei.» (9)

Secundum *Chrysostomum* fratres Christi vocantur omnes Christi pauperes:

«**Hos enim maxime ad fraternitatem vocat: ignotos, contemptos; nec monachos dicit tantum, illosque qui in montibus habitant, sed fideles singulos, etiamsi saeculares sint, si sint esurientes, famelici, nudi, hospites, nulla non ipsos cura vult excipi. Fratrem enim et baptismus efficit, et divinarum mysteriorum consortium.» (10)**

Praedicti ergo commentatores restringunt fratres Christi sive ad apostolos, sive ad fideles pauperes, ex quo apparet, fratres Christi in illo versiculo non esse intelligendos homines non christianos.

b) Nonnulli interpretes intelligunt, hoc in versiculo fratres Christi vocari omnes Christi fideles. Ita Bruno Ast., Menochius, Knabenbauer, Klofutar. Et hi ergo excludunt homines non christianos.

BRUNO AST. «In mebris suis suscipitur Christus: membra enim sua sunt omnes christiani... Christus igitur in esurientibus esurit, in sitientibus sitit, in infirmis aegrotat et in aliis similiter patitur.» (11)

MENOCHIUS «Uni ex his fratribus meis, Apostolis, discipulis, fidelibus.» (12)

KNABENBAUER «Ne quis putet ea solum magni duci a Christo, quae fiunt fidelibus in dignitate vel gravissimis muneribus constitutis, explicitè nominat fratres minimos; quare hi non cum Scheeg intelligendi sunt apostoli, sed fideles Christi pauperes, abiecti, ignoti, contemti apud homines (S. Crys, Hil, Theoph.); non quod alii excludantur, sed loquitur a minore, ut S. Thomas dicit, «quia possent dicere alii qui: si fecissem pari vel aliquibus de magnis hoc, credo quod redderetur; ideo Dominus dicit, quod non solum maioribus; ideo dicit minimis.» Dicens ergo minimos, alios non excludit, sed includit omnes (cf. Orig.). (13)

KLOFUTAR «Ex his fratribus meis minimis; non solum apos-

-
9. S. Hieronymus. Commentarium in Evangelium Matthaei, lib. IV, cap. 26, M L 26. 190.
 10. S. Ioannes Chrysostomus. In Matthaeum homil. 79, M G 58. 718.
 11. S. Bruno Astensis. Comment. in Matth., Pars IV, cap. 25, M L 165. 285.
 12. Menochius. Explicationes in Matthaeum, c. 25, v. 40.
 13. Knabenbauer. Commentarius in quattuor S. Evangelia, Evangelium secundum S. Matthaeum, c. 25, v. 40.

tolis, quia inter hos non multi erant minimi, et quia maxima hominum pars nulla in illos contulit beneficia, sed fidelibus generalim, quos vocat minimos propter indolem eorum modestam et quod in mundo habitus sunt abiecti.»

(14)

Neque ergo secundum hos commentatores fratres Christi vocantur omnes homines, sed tantum Christi fideles.

c). Aliqui tamen nostri versiculi interpretes tenent, hoc in loco fratres Christi vocari omnes homines pauperes sive christiani sint sive non christiani. Ita ex protestantibus Cremer, Meyer, (15) De Wette, Ullmann; ex catholicis Bisping (16) et quodammodo Fillion. (17)

Quia textus Matthaei 25,40 ad nostrum finem parum profert, si hoc textu fratres Christi vocentur omnes homines pauperes sive christiani sive non christiani, examinandum est, utrum hic sensus e textu allato excludi possit?

aa). B. Weiss in suo commentario Evangelii s. Matthaei acriter pugnat contra eos, qui hunc sensum admittunt. (18) Eius ratio est, quia fratres Christi, qui Deum suum Patrem vocant, possunt tantum filii Dei in genere i.e. Christi fideles esse. Ratio sine dubio bona et consona cum tota Scriptura NTi.

bb). Hoc in loco Christus se identificat cum illis, quos fratres suos vocat: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, *mihi* fecistis. Christus iamvero numquam se cum illis, qui non sunt eius, identificat, sed tantum cum suis, qui mem-

14. Klofutar L. Commentarius in Evangelium S. Matthaei, Vienna, 1866, c. 25, v. 40.

15. Cf. Bisping Aug. Erklärung des Evangeliums nach Matthäus, Münster, 1867, Kap. 25, v. 40.

16. Ibidem: «Unter den «geringsten Brüdern» sind nicht die Apostel allein, auch nicht bloß die Christen, sondern die geringen armen und verachteten Mitmenschen überhaupt zu verstehen.»

17. Fillion. La sainte Bible, Evangile selon s. Matthieu, Paris, 1911, C. 25, v. 40:

«Uni ex his minimis; cf. X,42. Ici Jesus ne désigne pas seulement les Apôtres, ni les chrétiens, mais en général tous les infortunés: ils sont ses frères, il vit en eux en tant qu'il est vrai chef de l'humanité, il a pour eux une affection spéciale parce que son existence sur la terre a été semblable à la leur.»

18. Weiss B. Das Matthäus-Evangelium, Göttingen, 1890, c. 25,40: «Unmöglich freilich kann es auf die armen, elenden Nebenmenschen überhaupt gehen (de W., Ullm. in den Studien u. Krit. 1847, p. 164 ff), denn die Brüder Christi, der Gott seinen Vater nennt (v. 34), können nur die Gotteskinder überhaupt, also die Christen im Allgemeinen sein (Olsh., Hilgenf., Keil), und gar kein Grund ist, an die Apostel speziell zu denken.»

bra Corporis sui sunt. Illos ergo nec fratres suos hoc in loco nominavit.

cc). Locus parallelus (Mt 10,42 et Mc 9,41) huius versiculi ad apostolos, quatenus Christi sunt sequentes refertur: «Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam» (Mt 10,42). Adhuc clarius Marcus: «Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, *quia Christi estis*: amen dico vobis, non perdet mercedem suam» (Mc 9,40). Christus his verbis promittit praemium *suis* exhibitum. Dicendum ergo est, Christum in ultimo iudicio bona opera *suis* exhibita praemio cumulare.

Concludere ergo possumus verbis, similibus illis s. Hieronymi hunc versiculum interpretantis: Libera nobis est intelligentia, quod omne opus misericordiae sive christiano sive non christiano homini praestito suam mercedem in caelo habeat, sed in hoc versiculo Matthaei sermo est tantum de bonis operibus Christi asseclis exhibitis.

Quaestionem autem, utrum isti asseclae Christi intelligendi sint omnes Christi fideles, ut volunt Menochius, Knabenbauer et Klofutar, an nonnulli tantum inter eos, ut volunt reliqui commentatores, praetermittimus, quia ad nostrum finem sufficit scire nonnullos saltem Christi fideles ratione gratiae fratres eius vocari.

2. Quo autem sensu hoc in versiculo Christi fideles fratres eius vocantur? Utrum sensu metaphoricis, an sensu proprio?

Christi frater quandoque significat «Christo tam carus quam frater» (Zorell). Ita v. gr. Mt. 12,49-50: «Et extendens manum in discipulos suos, dixit: «Ecce mater mea, et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est: ipse meus frater, et soror, et mater est.» Si hoc sensu nomen fratris in ultimo iudicio usurpatum est, vanus est labor noster ostendendi, ex hoc textu Christi fideles esse eius fratres sensu proprio. Et revera nonnulli commentatores textum illum sensu metaphoricis accipere videntur. Ita *Hieronymus*: «Non mihi videtur dixisse generaliter de pauperibus, sed de his, qui pauperes spiritu sunt, ad quos tendens manum dixerat: Fratres mei et mater mea hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei» (v. supra). Hieronymum sequuntur Venerabilis Beda, Rabanus Maurus et Paschasius. *Chrysostomus* e contra nomen fratris in illo versiculo accipit sensu proprio. Secundum

eum, ut vidimus, illi fratres Christi minimi non sunt tantum monachi, sed etiam reliqui quoque Christi fideles, si sint famelici esurientes etc., nam «fratrem enim et baptismus efficit et divinorum mysteriorum consortium» (v. supra). Per baptismum vero fit vera, non metaphorica generatio. *Cornelius* a *Lapide* idem expresse dicit: «Consequenter tamen notantur omnes pauperes Christiani, qui regenerati in baptismo per gratiam effecti sunt filii Dei ideoque fratres Christi» (v. supra). Reliqui commentatores de indole huius fraternitatis aut tacent (*Knabenbauer*, *Klofutar*, *Meyer*, *Bisping* etc.) aut illam esse veram fraternitatem implicite affirmant (*Weiss*, *Fillion*).

Quamvis commentatores inter se dissentire videantur, tamen nomen fratris in nostro versiculo sensu proprio accipiendum est ob sequentem rationem: Verum quidem est nomen fratris usurpari in NT sensu metaphorico. Sed si hoc fit, ex subiecta materia restrictio nominis ad sensum metaphoricum apparet. Ut si dicitur: «Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, et soror, et mater est», statim patet nomen fratris intelligi de affectu amoris, quo homo fratrem, sororem et matrem prosequitur. Ubi autem non adest talis specialis ratio supponendi vocabulum aliquod, quod sensu improprio adhibeatur, non licet supponere hic et nunc sensum esse improprium, secus omnis perspicuitas sermonis destrueretur, cum vix exstent vocabula, quae metaphoricam significationem non admittent. Iam vero in nostro casu non tantum nulla adest ratio supponendi usurpationem nominis fratris sensu metaphorico sed e contra exhibetur ratio, quae hunc sensum excludit.

In illo enim textu Christus identificatur cum suis fratribus: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis — *mihi* fecistis. Similiter identificavit se Christus cum apostolis: Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit (*Lc 10,16*). Nec non et Saulo dixit de caelo: «Saule, Saule, quid *me* persequeris?» (*Act 9,5*). Iamvero locutione «cur me persequeris» non metaphorice, sed realiter in ordine gratiae Christus se cum fidelibus, utpote membris suis, identificavit. Locutione autem illa «qui vos audit, me audit» iterum non metaphorice, sed realiter in ordine iuridico identificavit se cum suis apostolis. In quibus omnibus ergo cum dicit «me», realiter se identificat cum illis, cum quibus identificatur. Ex usu ergo loquendi biblico sequitur identificationem pronuntiatam in ultimo iudicio inter Christum et illos electos esse realem, quia iisdem verbis expri-

mitur, quibus in aliis locis ab eodem Christo realis identitas cum suis exprimitur. Unde Origenes, Bruno Astensis, Paschasius Radbertus, Dionysius Cart., Fillion et Buzy vident hoc in loco doctrina de Corpore Christi mystico expressam.

ORIGENES scribit: «Esurivi, et non dedistis mihi manducare etc. Scriptum est ad fideles: Vos estis Corpus Christi, et membra ex parte. Sicut ergo anima habitans in corpore cum non esuriat quantum ad suam substantiam spiritualem, esurit tamen unumquemque corporis cibum, quia copulata est corpori suo: sic et Salvator paritur, quae paritur corpus eius Ecclesia, cum sit ipse impassibilis quantum ad suam divinitatem. Sanctis enim indigentibus cibo, et ipse esurit. Aliis autem membris suis necessariam habentibus medicinam, et ipse quasi infirmus necessariam habet.» (19)

BRUNO ASTENSIS: «In membris suis suscipitur Christus: membra enim sunt omnes Christiani; ideo enim Christiani, quia membra sunt Christi. . . Christus igitur in esurientibus esurit, in sitientibus sitit, in infirmis aegrotat et in aliis similiter patitur.» (20)

PASCHASIUS RADBERTUS: «Et ideo credendum, quod haec omnia in membris suis, ac si in se, ipse suscipiat, quod in multis locis scripturarum apertissime monstratur, sicut est illud: Qui vos audit, me audit, et qui vos recipit, me utique recipit (Luc 10,16). Neanion et Saulo ait de caelis: Saule, Saule, cur me persequeris? (Act 9). Seu et alia quamplura. In quibus omnibus cum dicit, MIHI aut ME, se procul dubio sibi que fecisse, et ad se venisse, pro membris suis, intelligi vult.» (21)

DIONYSIUS CART: «Amen dico vobis, quamdiu id est quantumcumque, vel quantumcumque, fecistis uni ex his fratribus meis minimis, id est alicui inopi quantumcumque in hoc saeculo vili et objecto, mihi fecistis. Isti enim sunt corpus meum mysticum, et caro mea, et tam gratia habeo bona eis facta, ac si meae personae essent exhibita, dummodo ex caritate et propter me facta sunt eis.» (22)

SECUNDUM FILLION Christus se identificat cum pauperibus,

-
19. Origenes. In Matthaeum commentariorum series, M G 13, 1717.
 20. S. Bruno Ast. Comment. in Matth., Pars IV, cap. 25, M L 165. 285.
 21. Paschasius Radbertus. Expositio in Matthaeum, lib XI, cap. 25, M L 120. 865.
 22. Dionysius Cart. Enarratio in cap. XXV Matthaei, Enarratio XL

ut suis membris praebens hac identificatione nobis motivum pro operibus misericordiae multo nobiliter rabbinicis motisque huius saeculi. (23)

SECUNDUM BUZY Christus hoc in loco se identificat cum suis fidelibus eodem modo ac occasione conversionis s. Pauli: hoc in loco a Christo ponitur fundamentum doctrinae de Corpore eius mystico. (24)

Verba ita «Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis» exprimunt identitatem fidelium cum Christo, quatenus hi sunt membra Christi. Iam vero sensus metaphoricus nominis fratris non exprimit unitatem realem, sed tantum unitatem quandam sensu traslato et proinde impotens est exprimere identitatem, quae viget inter Christum eiusque membra, nam haec identitas membrorum cum Capite in Corpore mystico minime est metaphorica. Hinc sensus metaphoricus nominis fratris nostro in textu non est admittendus. Admittendus est ergo sensus proprius nominis fratris, qui hanc realem identitatem inter Christum et electos egregie exprimit. Realitas enim Corporis Christi mystici in Sacra Scriptura praeter nomen Corporis etiam nomen Familiae Dei obtinet (E. 2, 19-22). Nomen itaque fratris, quod est

-
23. Fillion. La sainte Bible, Evangile selon saint Matthieu, Paris, 1911, c. 25, 40: «Mihi fecistis... Jesus ne faisant avec les malheureux qu'un seul corps mystique, cette conclusion est aussi naturelle qu'elle est encourageante. Voici d'après Schoettgen, Horae talm. in h. 1, un passage talmudique analogue à la parole du Sauveur: «Dixit Rabbi Afin: Quotiescumque pauper stat ante fores tuas, Deus sanctus Benedictus ad dexteram eius stat... Si ipsi das, scias te ab eo qui a dextris eius ipsius stat, mercedem recepturum. Si vero nihil ipsi das, scias te eidem, qui a dextris stat, poenas daturum.» Mais quelle force supérieure dans la pensée de Jésus! Lui seul connaît toutes les oeuvres miséricordieuses qu'elle a inspirées au sein du Christianisme. Les principes humanitaires de la philanthropie ne sont, auprès d'elle, qu'une vaine et froide déclamation, qui ne produit que de rares dévouements.»
24. Buzy, Evangile selon saint Matthieu, Paris, 1935, c. 25, 40: «La doctrine complète, la voici enfin: ce que l'on fait au dernier de frères, c'est à Jésus qu'on le fait. Exagération, imagination, poésie? Non, l'occasion est trop solennelle pour qu'elle se prête à des excès de langage, d'autant plus que cette doctrine, qui mesure la récompense des justes, va servir également à fixer le châtiement des réprouvés. Les termes ne sont pas exagérés et la formule est exacte. C'est la même dont Jésus se servira à l'adresse d'un insigne persécuteur des chrétiens: Saul, Saul, pourquoi me persécutes-tu? (Act. IX,4.). Et Paul, qui a réfléchi en théologien et en mystique, à ces paroles très profondes, en a tiré, sous l'inspiration du Saint Esprit, toute sa doctrine du corps mystique... N'oublions pas cependant que le premier fondement du corps mystique, c'est ce c. XXV de S. Matthieu.»

de familia sumptum, apte exprimit identitatem realem fidelium cum Christo ratione Corporis Christi mystici.

Quodsi vero fratres Christi dicendi sunt vere fratres Christi ob identitatem suam cum Christo, quatenus sunt membra Corporis eius, iterum potest, eos dici hoc in loco fratres Christi in ordine supernaturali ratione gratiae.

§ 2. Secundus textus, qui probat Christum esse verum fratrem nostrum in ordine supernaturali sumitur ex Io 20,17:

«*Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*»

Una sabbati stabat Maria Magdalena ad monumentum Iesu, plorans et anxia quaerebat undique eius corpus (v.1-11). Et licet iam ante prospexisset in monumentum et sepulchrum corpore sublato vacuum vidisset, tamen iterum prospexit. Et vidit duos angelos in albis sedentes, qui dicunt ei: Mulier, quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum: et nescio ubi posuerunt eum (v. 11-13). Haec cum dixisset, conversa est retrorsum et vidit Iesum, sed nesciebat, quia Iesus est (v. 14). Dicit ei Iesu: Mulier, quid ploras? Cui Maria: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posueris eum (v. 15). Dicit ei Iesus: Maria. Vocavit illum non tantum nomine proprio, sed etiam eo vocis sono, suavitate et gratia, qua eam vocare solebat in vita. Propterea ipsa statim Christum agnovit et dixit ei: Rabboni (v. 16). Nunc dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum (v. 17).

Primo *critica* textus huius v. 17.

1. In versione latina legitur «nondum enim ascendi ad *Patrem meum*», in graeco autem originali textu illud «meum» omittitur « οὐπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα. » In nonnullis enim codicibus graecis «meum» non legitur ideoque ab editoribus S. Scripturae omittitur (Merk, Nestle, v.l. Soden). Quia vero verbis «nondum ascendi ad *Patrem meum*» in nostra probatione non utimur, veram determinationem lectionis graecae omittimus.

2. Secundum codice S* W D 348e in textu graeco omitendum esset etiam μου post verba « τοὺς ἀδελφούς » et legendum esset: πορεύου δὲ πρὸς τοὺς ἀδελφούς (sine μου).

Tamen non obstante hac variatione Merk, Nestle, Vogels, retinent illud μου . Zahn vero, qui illud omittendum esse censet, expresse monet per verba sequentia i.e. «ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum» Christum fraternitatem suam cum apostolis proclamare. (25) Et revera, si omittis illud μου et legis: «vade autem ad fratres», cito agnosces ad cuius fratres Maria mittatur ex sequentibus Christi verbis: «Et dic eis: ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.» Omissio ergo illius μου nullam creat difficultatem nam si μου verbaliter omittis, mente addere debes.

Nunc examinandus est *sensus* v. 17. et circa hoc tria quaeruntur: 1. qui sint isti fratres, quibus Maria resurrectionem Christi nuntiare iubetur? 2. vocanturne isti a Christo fratres sensu proprio an metaphorico? 3. in ordine supernaturali an naturali?

Primo, qui sint isti fratres? Maldonatum quidam secuti fratres a Christo eius cognatos vocatos putant (26) At omnes commentatores Christi discipulos intelligunt. Et recte quidem, nam loco parallelo (Mt 28, 7) Angelus dicit mulieribus: Cito euntes dicite *discipulis* eius.

Secundo, vocanturne apostoli fratres Christi sensu proprio an metaphorico? Maldonatus adducens rationem, cur Christus apostolos fratres suos vocaverit, dicit: «Vocat autem omnes discipulos fratres, quod, sicut ipse, quamvis alio genere, quam ipse, Dei filii essent, quia eius faciebant voluntatem, sicut dixerat: Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est» (27). Apostoli sunt ergo secundum Maldonatum fratres Christi imo etiam mater eius. Manifieste utrumque sensu metaphorico. Ita saltem ex alligatis verbis Christi de matre et fratribus eius concludi posset. Sed tamen Maldonatus benignius intelligi potest. Dicit enim: «Vocat autem omnes discipulos fratres, quod

-
25. Theodor Zahn. Das Evangelium des Johannes, Leipzig u. Erlangen, 1921, p. 676, nota 48: «Das von * D, de Iren. V.31, 1 (dieser jedoch discipulos), Orig. (Preuschen p. 476,22 gewöhnlich aber nicht so) fortgelassene μου hinter ἀδελφοῦς ist nicht glaubwürdiger, als das μου hinter dem ersten πατέρα (17a). Erst in folgenden. Satz (17b) wird der zunächst Jesum und die Seinigen zusammenfassende Begriff der Vaterschft zerlegt.»
26. Maldonatus. Commentarium in Matthaeum, c. 28, v. 10.
27. Maldonatus, 1. c.

sicut ipse, quamvis ali genere quam ipse, Dei filii essent...» (28) Apostoli ergo sunt filii Dei sicut et Christus: Christus autem vero sensu Dei Filius est et propterea Apostoli dicendi sunt vero sensu filii Dei, etsi diverso modo ac Christus: Apostoli per gratiam, Christus generatione. Et consequenter apostoli sunt vero sensu fratres Christi.

Cum autem textus ipse obvies inspectus («ascendo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum») veram Christi fraternitatem cum apostolis doceat, et cum omnes reliqui commentatores Sti Ioannis, ut Crysostomus, Augustinus, Beda, Alcuinus, Rupertus, s. Thomas, Cornelius a Lapide, Knabenbauer, Meyer, Belsler, Schanz, Zahn, Lagrange, Fouard Sickenberger, Fillion et alii, hoc idem demonstrant, merito concludere possumus: Apostolos in Ioan 20,17 vero sensu fratres Christi vocari.

Tertio, sitne haec apostolorum cum Christo fraternitas ordinis supernaturalis? Hoc in versiculo Christus et Apostoli ideo dicuntur fratres, quia eundem habent in caelo Patrem, ad quem Christus ascensurus est non multum post dies suae resurrectionis. Unde nemo commentatorum negat, Christum his verbis apostolos et per apostolos omnes fideles fratres suos per gratiam appellasse. Tertullianus ex hoc textu probat Christum esse Filium Dei, distinctum a Deo Patre, quia apostolos vocat fratres, non filios. Apostoli sunt secundum Tertullianum filii Patris, fratres vero Filii. Absque dubio utrumque in ordine supernaturali:

«**Ne, inquit, contigeris me, nondum ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos (quin et in hoc se Filium ostendit; filios enim appellasset illos, si Pater fuisset,) et dices eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.**» (29)

Alii auctores adhuc clarius nostram fraternitatem cum Christo supernaturalem ex hoc textu docent:

S. CYRILLUS ALEX.: «**Mariae dedit ut fratribus haec nuntiaret: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum... Primum quidem, cum natura et ordine servi simus (Creatori enim creaturae serviunt), suos tamen fratres appellat et communem Patrem cum sibi tum**

28. Ibidem.

29. Tertullianus. Liber adversus Praxeam, c. 25, P L 2. 188.

nobis Deum nominat.» (30)

S. AUGUSTINUS « Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum natura meum, gratia vestrum.» (31)

THEOPHYLACTUS: « Quia autem dixerat: fratres; subdit: Et Patrem vestrum. Pater est enim noster Deus, non natura, sed gratia; Domini autem Pater natura.» (32)

RUPERTUS: « Vade ad fratres meos, scilicet apostolos... Fratres enim sunt et quidem non natura, sed per adoptionis gratiam, et filii Patris mei sunt, talem pariter mecum habentes hereditatem sacramentorum, nihilque deesse illis, unde fiat, ut me perfecte tangere possis.» (33)

MALDONATUS: « Vocat autem omnes discipulos fratres, quod, sicut ipse, Dei filii essent, quia eius faciebant voluntatem... » (34)

CORNELIUS A LAPIDE: « Dicit autem: Patrem meum, et Patrem vestrum. Meum natura ait sanctus Augustinus, vestrum gratia, ut ostendat se esse fratrem eorum, utpote qui communes cum eis habent Deum Patrem, sed hic naturalem, illi adoptivum.» (36)

LAGRANGE idem docet. (36)

DURAND dicit fideles esse ideo fratres Christi, quia Christus eos in fratres adoptavit per gratiam. (37)

SICKENBERGER etiam intelligit fraternitatem apostolorum cum Christo per gratiam. (38)

-
30. S. Cyrillus Alex. In Ioannis Evangelium, lib. XII, M G 74.669.
31. S. Augustinus. In Ioannis Evangelium, Tract. 121, c. 20, M L 35, 1957.
32. Theophylactus Bulg. Enarratio in Evang. Ioannis, Cap. 20, M G 124. 295.
33. Rupertus, abbas. Comment. in Ioan., lib. XIV, M L 169. 807.
34. Maldontus. Comment. in Matthaeum, c. 28, v. 10.
35. Cornelius a Lapide. Comment. in Ioannem, c. 20, v. 17.
36. Lagrange. Evangile selon Saint Jean, Paris, 1925, XX, 17: « On notera dans la formule de la fin, que Dieu n'est pas de la même manière le Dieu de Jésus et de ceux qu'il nomme cependant ses frères: il n'est pas non plus leur Père de la même façon. »
37. Durand, S.I. Verbum Salutis, Evangile selon saint Jean, Paris, 1927, c. 20, v. 17: « Je monte vers mon Père et votre Père, mon Dieu et votre Dieu. Bien que le Verbe incarné parle ici en tant que l'homme, il reste Fils par nature, au titre même de son origine divine, tandis que les Apôtres et ceux qui partagent leur foi, ne le sont que par grâce, parce que le Christ les a adoptés pour frères. »
38. Joseph Sickenberger. Leben Jesu nach den vier Evangelien, Münster i. W., 1931, VI. Der Abschluss, p. 168-169: « Magdalena soll «den Brüdern», d. h. den Jüngern (wie Mt. 28,10) melden, dass Jesus im Begriffe steht aufzufahren (ἀναβαίω). Ziel seiner Himmelfahrt ist — das soll Magdalena trösten — die Wieder-

Secundum VON HANEBERG *Christus post resurrectionem apostolos, quos ante passionem amicos appellavit, fratres appellavit, qui opere redemptionis peracto palmites et membra iam sunt unita cum Vite et Capite.* (39)

(Cf Calmet, Knabenbauer, Belser, Fournard, Fillion)

Io 20, 17 v. indubium itaque est testimonium pro nostra cum Christo fraternitate supernaturali.

§ 3. Tertius textus, ex quo invicte probatur Christi fideles esse in ordine supernaturali Christi fratres sensu proprio, est c. 8, v. 29 epistolae s. Pauli ad Romanos:

«Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primopenitus in multis fratribus».

Commentatores huius versiculi non conveniunt in explicandis illis verbis «conformes fieri imaginis Filii sui». Alii illa verba intelligunt de nostra conformatione cum Christo per gratiam his in terris (Augustinus, Theophylactus, Hervaeus, Abelardus, Prat); alii ea intelligunt de nostra conformatione cum Christo in caelis et quidem sive cum Christo ut Deo (Gregorius Nys., s. Thomas), sive cum Christo ut homine. Horum autem, qui ea verba intelligunt de nostra conformatione cum Christo ut homine, alii hanc conformationem concipiunt cum Christi et anima et corpore (Estius, Cornelius), alii de sola anima Christi (Origenes, Sedulus Scotus), alii demum de solo Christi corpore glorioso (Theodoretus, Pseudo-Ambrosius, Cornely, Lagrange, Toussaint, Zahn et alii).

Etsi commentatores in explicanda conformatione nostra cum Christo discrepant, nullus tamen eorum negat nos hoc versiculo doceri de nostra cum Christo fraternitate supernaturali.

S. Augustinus hunc versiculum de nostra fraternitate su-

vereinigung mit seinem Vater und seinem Gott. Dieser ist zugleich auch der Vater und Gott der Jünger Jesu. Dass es aber trotzdem nicht heisst: «zu unserm Vater und unserm Gott» beweist wieder, dass das Verhältnis Jesu zum Vater und Gott ein anderes ist als das der Christen zu diesem. Die Sohnschaft Christi ist nicht bloss eine moralische wie bei Gottes Kindern, sondern eine physische.»

39. Danjel Bonifacius von Haneberg. Evangelium nach Johannes, München, 1880, c. 20, 17: «Hatte er die Jünger zuvor Freunde genannt (15, 14), so heissen sie jetzt Brüder, weil das Werk der Erlösung vollendet, die Vereinigung der Gläubigen mit ihm, wie der Rebe mit dem Weinstocke, wie der Glieder mit dem Haupte zu Stande gebracht ist. Brüder aber haben einen Vater und einen Gott. Doch sagt er nicht: zu unserm Vater und Gott; denn Gott ist in einem andern Sinne der Vater und Gott Jesu Christi, in einem andern Sinne Vater und Gott der Gläubigen.»

supernaturali cum Christo, quatenus est homo, intelligit. Nos sumus fratres adoptivi Christi hominis, qui ratione unionis cum Verbo Filius Dei naturalis et primogenitus est frater noster:

«**Quod autem dicit, ut sit primogenitus in multis fratribus, satis docet aliter intelligendum Dominum nostrum unigenitum, aliter primogenitum. Nam ubi Unigenitus dicitur, fratres non habet, et naturaliter est Filius Dei, Verbum in principio, per quod facta sunt omnia (Io 1, 1, 3). Secundum susceptionem autem hominis et incarnationis dispensationem, per quam nos etiam non naturaliter filios in adoptionem filiorum vocare dignatus est primogenitus dicitur cum adiunctione fratrum.**» (40)

S. Gregorius Nys. interrogat, quomodo Christus primogenitus in multis fratribus, quomodo autem primogenitus ex mortuis sit, et respondet:

«**Propterea quod nos nati sumus sanguis et caro, sicut dicit Scriptura; qui autem propter nos, secundum nos natus est, carnis et sanguinis particeps, nos ex corruptibili ad incorruptibile vindicaturus per supernam generationem, quæ est per aquam et Spiritum, ipse talis partus dux existit, per summ Baptisma, Sanctum Spiritum in aquam attrahens ita ut omnium qui spiritualiter regenerantur ipse sit primogenitus, fratresque nominet eos, qui similis cum ipso per aquam et Spiritum generationis facti sunt participes.**» (41)

Secundum *Theodoretum* Christus est unigenitus, qua Deus primogenitus, qua homo, eorum, qui crediderunt:

«**Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Hoc etiam testatur veritas doctrinæ. Nam primogenitus nominatur ut homo: ut Deus enim Unigenitus est. Neque enim fratres habet, quatenus est Deus: Unigenitus est. Neque enim fratres habet, quatenus est Deus: sed ut homo, appellat fratres eos qui crediderunt. Horum est primogenitus.**» (42)

Secundum *Ioannem Damascenum* Christus est primogenitus inter nos, qui adoptione et gratia in Dei filios cooptati sumus fratresque eius existimus:

«**Primogenitus autem in multis fratribus, siquidem, cum matris etiam unigenitus esset (quoniam æque ac nos par-**

40. S. Augustinus. Quarundam propositionum ex epist. ad Rom. expositio, M L 35. 2077.

41. S. Gregorius Nyss. Contra Eunomium, lib II, M G 45. 502.

42. Theodoretus. Interpretatio Epist. ad Rom., Cap. VIII, v. 29. M G

icipavit carni et sanguini, homoque factus est; nosque etiam per eum filii Dei facti sumus per baptismum scilicet adoptati) ipse natura Dei Filius, inter nos, qui adoptione et gratia in Dei filios adoptati sumus, fratresque eius existimus, primogenitus factus est. Eo itaque nomine dicebat: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum. Non dicit, Patrem nostrum, sed Patrem meum, natura videlicet; et Patrem vestrum gratia.» (43)

Secundum *Theophylactum* Christus dicitur primogenitus «quia assumpta caro uncta est praesentia totius inungentis» et «quia sanctificata est in Christo damnata nostra natura». Quodsi vero Christus vocatur primogenitus frater noster ratione suae sanctificationis, manifeste nos fratres eius ratione gratiae, non autem ratione communis naturae humanae vocamur. (44)

Hervaeus clare loquitur de nostra fraternitate cum Christo supernaturali, licet obscure loquatur de Christi primogenitura. Unde pro nostro scopo sufficit tantum haec eius verba afferre: «Deinde ut sit, inquit, ipse primogenitus in multis fratribus. Secundum id, quod unigenitus est, non habet fratres, secundum id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post eius et per eius primatum in Dei gratiam renascantur per adoptionem filiorum. Primogenitus enim dicitur respectu fratrum consequentium in id, quod ipse praecessit.» (45)

Abaelardus non tantum docet, nos esse fratres Christi in ordine supernaturali, sed etiam nos esse filios eiusdem Patris, primae videlicet Personae Ssimae Trinitatis:

«Ita, inquam, conformes fieri, ut sit ipse videlicet Christus primogenitus in multis fratribus, id est inter multos, qui eiusdem Patris sunt filii per adoptionem, ipse qui per naturam Filium est more primogenitorum excellat dignitate, non eis adaequatur similitudine, sicut et ipse aequalis est, cuius imago est.» (46)

S. Thomas sedulo distingens fraternitatem nostram cum

43. S. Ioannes Damascenus. De fide orthodoxa, lib. IV, c. VIII, M G 94. 1115.

44. Theophylactus. Expositio in Epist. ad Rom., cap. VIII, M G 124. 451.

45. Hervaeus. Comment. in Epist. ad Rom., cap. VIII, M L 181. 716.

46. Abaelardus. Expositio in epist. Pauli ad Rom., lib. III, M L 178. 907.

Christo naturalem a supernaturali utramque inter nos et Christum vigere docet:

«**Quid autem ex prædestinatione sequatur adiungit: Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Sicut enim Deus suam naturalem bonitatem voluit aliis communicare, participando eis similitudinem suae bonitatis, ut non solum sit bonus, sed etiam auctor bonorum, ita Filius Dei voluit conformitatem suae filiationis aliis communicare, ut non solum sit ipse filius, sed primogenitus filiorum. Et sic qui per generationem æternam est unigenitus, secundum illud Ioan. I: Unigenitus, qui est in sinu Patris, secundum collationem gratiae, sit primogenitus in multis fratribus. . . Habet igitur Christus nos fratres, tum quia nobis similitudinem filiationis communicavit, sicut hic dicitur, tum quia similitudinem nostrae naturae assumpsit, secundum illud Hebr. II: Debuit per omnia fratribus assimilari.» (47)**

Estius interpretans hunc locum duo docet: 1. nos per gratiam et gloriam conformatos Christo evadere fratres eius et coheredes caelestis gloriae i. e. nos esse fratres Christi in ordine supernaturali, et 2. Christum esse primogenitum nostrum fratrem, quatenus per gratiam unionis natura humana unita est Verbo.

«**Nam ex ea (nostra conformitate cum Christo) consequitur quaedam dignitas et prærogativa Christi, ut sit primogenitus inter multos fratres: dum videlicet qui per naturam est unigenitus Dei Filius, Deo nos in filios adoptante ac naturali ipsius Filio per gratiam et gloriam conformante, multos fratres acquirit gloriae suae caelestis coheredes, inter quos omnes ipse primatum teneat tamquam primogenitus. Etenim Christus Dei Filius, genitus quidem est ut Deus, sed primogenitus ut homo Deus; scilicet per gratiam unionis, non per gratiam adoptionis.» (48)**

Secundum *Tirinum* Christus est formaliter primogenitus inter reliquos suos fratres secundogenitos seu adoptivos:

«**Christo ut primogenito reliqui fratres secundogeniti, seu adoptivi, reddantur per omnia (quod fieri potest) similes et conformes.» (49)**

47. S. Thomas. In epist. S. Pauli commentaria, Epistola ad Romanos, c. 8, v. 29.

48. Estius. Commentarius in Epistolam ad Romanos, cap. VIII, v. 29.

49. Tirinus. Comment. in epistolam S. Pauli ad Romanos, c. VIII, v. 29.

Secundum *Calmet* Christus est Unigenitus, qua Deus, primogenitus, qua homo inter reliquos homines gratia in filios Dei adoptatos:

«**Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, Dei Filius tota aeternitate genitus, unus natura Filius est, etque ex parte, qua Deus, primogenitus est Patris at qua θεανδρικός primogenitus est inter Praedestinos, cum electi omnes filii Dei efficiantur ea dumtaxat adoptione, quam illis ipse promeruit.**» (50)

Monochius non dubitat de nostra supernaturali fraternitate cum Christo. Hoc patet ex eius triplici ratione, ob quas Christus sit inter nos primogenitus:

«**Porro Christus filiorum Dei est primogenitus, primo, quia ipse est Filius Dei naturalis, cum ceteri sint tantum adoptivi, secundo, quia ante omnes praedestinatus est Christus ad hanc filiationem, et unionem cum Verbo et consequenter ad omnem suam gratiam et gloriam. Tertio, quia Christus finis, scopus, et exemplar fuit et est omnium praedestinatorum.**» (51)

Secundum *Bernardinum a Piconio* Christus ut homo est primogenitus in omnibus fidelibus, qui sunt filii Dei:

«**Ut sit ipse primogenitus, etc. id est, ut Christus, qui ut Deus, est Filius Dei unicus; ut homo, sit primogenitus in multis fratribus, id est, in omnibus fidelibus, sanctis et filiis Dei.**» (52)

Secundum *Reithmayr* Christus est primogenitus inter fratres, quatenus est ille Filius Dei naturalis per se ipsum, nos vero filii Dei per eum et consequenter post eum, et quatenus primus e nostro genere in gloriam introivit. (53)

Secundum *Prat* per gratiam nos formam Filii participamus et per eandem Christus fit primogenitus in multis fratribus.

-
50. Calmet. Commentarius litteralis in epist. ad Rom., c.8,v.29.
 51. Menochius. Explicationes in Epist. S. Pauli ad Romanos, c. VIII, v. 29.
 52. Bernardinus a Piconio. Epistolarum B. Pauli ap. triplex expositio, Parisiis, 1850, Epistolae ad Rom., c. 8, 29.
 53. Reitmayr. Kommentar zum Briefe an die Römer, Regensburg, 1845, c. 8, v. 29: « πρωτότοκος » «in Mitte der gleichgestalteten Brüder» ist aber Christus, in wie ferne er einmahl als natürlicher Sohn und Erbe Gottes den Vorrang vor denen inne hat, welche durch ihn (Eph. 1, 5) zu dieser ihrer Würde gelangen, und in wie ferne er auch als der Erste unseres Geschlechtes aus den Toten in die Herrlichkeit eingegangen ist Col. 1, 18.»

(54)

Consonam ergo cum his interpretationibus explicationem nominis «primogeniti» praebet Zodell, cum in suo vocabulario scribat: πρωτότοκος (πρῶτος τεκ-εἶν, τίκτω) primogenitus, primo partu editus, quod duobus modis dici potest:

1. ea proles ante quam nulla alia genita est ut SSera loquitur «quae aperit vulvam» et haec est primaria vocis vis.

2. inter plures germanos natu maximus (quae est accidentaliter primogeniti relatio); sensu minus proprio = in aliquo fratrum, ut non germanorum, numero primus ac dignissimus; ita Christus, aeternus Dei Filius, qui angelos hominesque— quorum utriusque nominantur et sunt Dei filii — fratres nactus est, vocatur πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς Rom. 8, 29 et simpliciter ὁ πρωτότοκος Hebr. 1, 6; idem Christus, quia gloriosam vitam primus adeptus est, dicitur πρωτότοκος (ἐκ) τῶν νεκρῶν Col. 1,18, Ap. 1,5; tandem vocatur πρωτότοκος πάσης κτίσεως Col. 1,15 e contextu = prius genitus quam ulla creatura, omni creatura prior ac potior. (Cf. Zorell).

Primogenitus in multis fratribus (R. 8,29) significat ergo primum, non inter plures germanos, sed primum fratres naturalem inter fratres adoptivos: homines (et angelos). Et quia primaria vocis primogeniti vis est: inter plures germanos natu maximus, iure Zorell dicit, Christum relate ad fratres adoptivos (homines et angelos) primogenitum vocari sensu minus proprio. Ex hoc tamen non licet concludere, Christum esse nostrum fratrem sensu improprio. Et dum Christus primogenitus in multis fratribus est ratione adoptionis hominum, primogenitus mortuorum et primogenitus omnis creaturae est ob alias rationes. Unde etsi horum primogenitus fratres sensu aliquo improprio intelligi debeat, hominum tamen, qui fratres eius sunt adoptivi, vero sensu frater intelligendus est.

In fine huius paragraphi nonnulla de ioannea primogeniturae Christi conceptione addamus:

Secundum paulinam conceptionem Christus est primogenitus inter reliquos suos fratres, princeps adoptivorum filiorum Dei. Huic conceptioni paulinae opponitur quodammodo conceptio ioannea. S. Ioannes enim sedulo secernit Christum,

54. Prat. La théologie de Saint Paul, 8 (1934), p. 294: «C'est par la grâce sanctifiante que nous participons graduellement à la forme du Fils; c'est par elle que le Christ devient le premier-né entre plusieurs frères.»

Filium Dei naturalem, a nobis, filiis Dei adoptivis. Christi enim filiationem constanter exprimit nomine $\delta \upsilon\iota\delta\varsigma \tau\omicron\upsilon\varsigma \Theta\epsilon\omicron\upsilon$. Nostram vero filiationem numquam hoc nomine exprimit. Nostram filiationem exprimit nomine $\tau\acute{\epsilon}\chi\nu\alpha \Theta\epsilon\omicron\upsilon$ (Iō 1,12; 1Iō 3,1; 2,10). Christus est $\delta \gamma\epsilon\nu\nu\eta\theta\epsilon\iota\varsigma \acute{\epsilon}\kappa \tau\omicron\upsilon\varsigma \Theta\epsilon\omicron\upsilon$, homo vero iustus $\delta \gamma\epsilon\gamma\epsilon\nu\nu\eta\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\varsigma \acute{\epsilon}\kappa \tau\omicron\upsilon\varsigma \Theta\epsilon\omicron\upsilon$ (1Iō 5,18). Implicite tamen et s. Ioannes semel Christum nostrum fratrem primogenitum appellat. Hoc fit in Apocalypsi c1 12, v. 14 et 17. Scio, non esse consensum inter interpretes de muliere, quae adducitur a Ioanne in c. 12, v. 1. «Et signum magnum apparuit in caelo. Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.» Secundum Völter haec mulier est Sion caelestis idealis; secundum Hilgenfeld est archetypus Israelis; secundum Weiszäcker haec femina est communitas iudeo-christianorum; secundum Vischer, Spitta, Erbes est Synagoga; secundum Bousset haec femina est personificatus Israel, qui genuit sive messiam sive tempora messianica; secundum J. Weiss haec femina in fonte Q representabat synagogam, in «recensione» vero haec femina consipitur ut allegoria Ecclesiae christianae. Sed antiqui commentatores Hipolytus, Methodius, Victorinus, Beda, Beatus, Hugo, Albertus et cum illis hodierna exegesis catholica hanc mulierem intelligit Ecclesiam. Haec mulier est «civitas Dei» (s. Augustinus) seu, ut dicit Swete, «mystica Mater Ecclesia» (55)

Haec mulier «peperit filium masculum, qui recepturus erat omnes gentes in virga ferrea: et raptus est filius eius ad Deum, et ad Thronum eius (v.5). Hic filius masculus natus ex muliere est Christus Messias. «Et postquam vidit draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quae peperit masculum... (v.13). Et iratus est draco in mulierem: et abiit proelium inire cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Iesu Christi» (v.17).

Qui sunt isti «reliqui de semine mulieris»? Commentatores ad hanc quaestionem diversa suppeditant responsa. (56) Hodie vero catholici vix non omnes «reliquos de semine mulieris» intelligunt christianos, fratres Christi et filios Ecclesiae.

55. Cf. Allo. L'apocalypse 2, c. 12, v. 1-2.

56. Cf. Allo, ibidem, v. 17.

(57) Eodem sensu «reliquos de semine mulieris» intelligunt et nonnulli acatholici, ut e. gr. Loisy. (58)

Hoc textu s. Ioannis non exprimitur quidem nostra fraternitas cum Christo in ordine supernaturali illia claritate, qua Paulus (R. 8,29) eandem exprimit, sed tamen, quis dubitare possit, s. Ioannem in 12 c. Apocalypsis, non docere nostram fraternitatem cum Christo in ordine supernaturali.

Et sicut testimonio Ioannis eo, quod sumus cum Christo «idem semen Ecclesiae», ille eius primus «masculus», nos «reliqui de semine eius», confirmare possumus verba Pauli (R. 8,29) de nostra fraternitate eum Christo, Filio Dei primogenito, ita etiam eadem verba Pauli confirmare possumus testimonio eiusdem apostoli «de semine Abrahae, cui dictae sunt promissiones» (Gal. 3,16 et 29). Idem semen Abrahae spirituale est Christus et nos, quatenus sumus Christi. «Abrahae dictae sunt promissiones, et semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus» (v. 16). «Si autem vos Christi: ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem heredes» (v. 29). Quodsi idem «semen Abrahae spirituale» sumus cum Christo, eandem filiationem, cum Christo habemus relate ad Deum. Fratres ergo sumus eius; ille primogenitus, cui datae sunt promissiones, nos autem posteriores, qui adhaerentes illi, facti sumus participes promissae filiations adoptivae.

2. Ex nostra supernaturali fraternitate cum Christo sequitur nos esse filios primae tantum Personae

Veritatem de nostra supernaturali fraternitate cum Christo secundum Scripturas in tuto collocavimus. Nunc autem monstrandum est, quomodo ex hac veritate sequatur nos esse filios per gratiam primae Personae Trinitatis, quatenus distincta sit ab anis Personis seu nos esse per gratiam filios exclusive primae Personae.

57. *Alfo.* Ibidem: «Mais il-y-a déjà en un, un seul, des enfants de la Femme, qui a été nommé dans la même chapitre: c'est le Messie des premiers versets. Les autres, le «rest», ce sont donc tous les frères de Jésus, c'est-à-dire tous «ceux qui observent les commandements de Dieu et qui ont le témoignage de Jésus», frères du Dieu incarné (Rom. VIII,29; Heb. II,12) et fils de l'Eglise pris sous deux aspects différents, comune elle l'a été au ch. XI, vv. 1-2, t vv. 3-13... L'excellent commentateur était Swete a encore parfaitement reconnu ce sens, et il nous semble qu'il n'y arien à une argumentation aussi claire et directe que celle-la appuyée sur tant de parallèles dans le même livre.»

58. Alfred Loisy. *L'Apocalypse de Jean.* Paris, 1923, pp. 243-244.

Demonstratio ista adeo perspicua esse videtur, ut eum latius exponendi vix ulla exstat necessitas. Attamen, quia omnes qui admittunt, nostram cum Christo fraternitatem supernaturalem, non admittunt nostrum communem patrem primam Personam, quatenus distincta est ab aliis Personis Ssmae Trinitatis, sed docent nostrum Patrem caelestem totam esse Trinitatem, Christi vero —primam Personam, nostra demonstratio diligentius elaboranda est.

Brevissima forma nostrae demonstrationis haec est: Fratres sunt filii eiusdem patris. Iam vero Christo et nobis in ordine supernaturali tantum prima Persona, quatenus distincta est ab aliis, communis pater esse potest. Ergo tantum prima Persona, quatenus est distincta ab aliis, pater noster est per gratiam.

Primo: *Fratres sunt filii eiusdem Patris*

Fraternitas est nomen relativum. Fraternitas nihil aliud est, nisi relatio inter duos, qui per generationem ab eodem procedunt principio. Quid est illud in fratribus, quo unus ad alium ut frater refertur? Illud, quo frater ad fratrem refertur est *generatio ab eodem principio*. Itaque frater ad fratrem non refertur immediate sicut refertur ex gr. filius ad patrem, sed fratres referuntur ad invicem mediante tertio, patre scilicet communi. Hinc fraternitas tres distinctas personas: duos filios et patrem communem enuntiat. Hi tres inter se realiter distinguendi debent. Pater debet ab utroque filio distinguui, et filii etiam inter se distinguui debent. Unde frater, quatenus est frater i.e. filius eiusdem patris ac alius filius, denotat patrem, quatenus hic pater distinguuitur et ab *eo et ab alio filio*. Impossibile est enim, ut aliquis sit frater alicuius, si eius pater non est persona distincta ab illo, cuius est frater. Hoc in sensu fratres sunt filii eiusdem patris.

Duo autem possunt esse filii eiusdem patris aut per generationem, aut per adoptionem, aut unus per generationem alter per adoptionem. In primo et secundo casu pater est pater utriusque sub eodem respectu: sub respectu scilicet generationis, respective adoptionis. In tertio casu pater unius est pater per generationem, alterius per adoptionem. Sed in omnibus casibus pater est persona *distincta* a filiis, sive hi filii sint eius filii per generationem, sive per adoptionem, sive unus per generationem, sive per adoptionem, sive unus per generationem, alter per adoptionem.

Secundo: *Christo et nobis in ordine supernaturali tantum*

prima Persona, quatenus distincta est ab aliis, communis pater esse potest.

Nos sumus in ordine supernaturali Christi fratres. Quisnam est noster pater communis? Secundum supra dicta ille potest esse noster pater communis, cuius Christus et nos sumus filii. Cuius autem per gratiam nos simus filii, est in quaestione. Cuius vero sit Christus Filius, est res certa. Christum est Verbum incarnatum. Christus itaque est persona in duplici existens natura: divina et humana. Haec persona divina in utraque existens natura est Filius naturalis Dei Patris, primae Personae Sanctissimae Trinitatis. In ordine supernaturali nullus alius existit, praeter primam Personam, qui Pater Christi nominari possit. Si nos in hoc ordine supernaturali fratres sumus Christi, nullus alius noster pater per gratiam esse potest, nisi eadem prima Persona Sanctissimae Trinitatis. Et quia haec prima Persona est Pater Christi, quatenus distincta est ab aliis Personis Sanctissimae Trinitatis, et nos debemus esse filii huius Personae, quatenus est distincta ab aliis Personis. Aliter non essemus fratres Christi. Ille esset filius Dei Patris, nos totius Trinitatis. Quorum autem pater non est idem, nec fratres inter se esse possunt.

Ne dicas: Nos per gratiam filios totius esse Trinitatis; ergo et Patris, primae Personae. Nam, quod de Trinitate dici potest, de singulis Personis idem dicere licet. Hoc autem sufficit, ut dicere possimus, nos cum Christo habere eundem Patrem.

Ad haec sequens datur responsum: Fratres tres dicunt: duos filios inter se distinctos et patrem, qui, quatenus est pater, ab uno et ab altero filio seu fratre distinguitur. Iam vero in praedicta suppositione prima Persona, quatenus esset noster Pater, non distingueretur a secunda Persona, quae est noster frater et a quo deberet distingui. In hac ergo hypothesis aliquis esset *frater alicuius*, etsi eius pater non esset persona distincta ab illo, cuius est frater, quod est impossibile.

Admitti ergo debet, nos esse per gratiam filios eiusdem primae Personae, quatenus est distincta ab aliis, ac Christus noster frater. Nos adoptivi filii, ille vero Filius naturalis.

Contra praedictam argumentationem et hoc modo obici potest: Ex Sacra Scriptura probatum est nudum factum nostrae fraternitatis supernaturalis cum Christo et ex hoc facto concluditur tantum primam Personam esse nostrum patrem caelestem. Ulterior determinatio huius fraternitatis, utrum

scilicet simus fratres Christi, qua Dei an qua hominis, non est data. Ad praedictam vero conclusionem haec determinatio necessaria esse videtur.

Nos esse filios adoptivos per gratiam tantum primae Personae probavimus ex nudo facto nostrae fraternitatis supernaturalis cum Christo non distinguendo, utrum haec nostra fraternitas cum Christo sit, quatenus Christus est Deus an quatenus est homo. Sed neque id necessarium nobis videbatur.

Fraternitas enim fundamentum suum habet in patre communi. Fratres sine patre communi intelligi nequeunt. Si fratres Christi sumus per gratiam, communis noster Pater in ordine supernaturali existat necesse est. Cum autem in ordine supernaturali Christus et quatenus Deus et quatenus est homo nullum alium Patrem habeat nisi primam Personam Sanctissimae Trinitatis, unice haec Persona noster pater communis esse potest. In nostra argumentatione distinctio inter nostram fraternitatem cum Christo, quatenus est Deus et fraternitatem nostram cum eo, quatenus est homo, tunc tantum locum suum habere deberet, si in ordine supernaturali Christus, ut homo non esset Filius Patris, eius est Filius ut Deus. Iam vero Christus et ut Deus et ut homo est eiusdem Patris Filius naturalis.

Dices forsitan: Et illi, qui docent, nos esse filios totius Trinitatis, admittunt, nos esse fratres Christi per gratiam et hoc factum cum sua thesi convenienter componunt. Ergo ex eo, quod fratres sumus Christi, non necessario concludi debet, nos esse filios tantum Patris.

Videamus primo, quid adversarii de nostra fraternitate cum Christo doceant et quomodo illam cum sua thesi componant et dein examinemus, utrum commode id faciant necne.

In articulo in quo S. Thomas probat, nos esse filios totius Trinitatis, hoc modo sibi obicit:

«Homines per adoptionem efficiuntur fratres Christi, secundum illud Rom. 8.: Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: fratres autem dicuntur, qui sunt filii unius patris, unde et Dominus dicit Ioan. 20: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; ergo solus Pater Christi habet filios adoptivos.»

Ad hanc difficultatem sequentem dat solutionem:

«Ad secundum dicendum, quod nos per adoptionem effici-mur fratres Christi, quasi eundem patrem habentes cum ipso: qui tamen alio modo est pater Christi, et alio modo est pater noster: und signanter Dominus Ioan. 20. seorsum dixit: Patrem meum, et seorsum: Patrem vestrum; est enim Pater

Christi naturaliter generando; quod est proprium sibi: est autem pater noster voluntarie aliquid faciendo; quod est commune sibi, et Filio, et Spiritui Sancto, et ideo Christus non est filius totius Trinitatis, sicut nos» (59)

Ex his apparet: primo, sanctum Thomam admittere nostram fraternitatem cum Christo; secundo eum docere, nos esse fratres Christi, quatenus eundem cum eo habeamus Patrem, scilicet eandem Personam, ille ut distinctam ab aliis personis per aeternam generationem, nos vero ut unam cum reliquis personis Sanctissimae Trinitatis per gratiam.

Utrum haec explicatio nostrae fraternitatis cum Christo satisficit? Videtur quod non ab sequentes rationes:

1. In hac hypothese essemus fratres Christi, etsi noster Pater non esset persona distincta a Christo, cuius fratres sumus. Fratres essemus Verbi, quatenus distinctum est a Patre, filii vero Patris, quatenus *idem est cum Verbo* et Spiritu Sancto. Hoc autem impossibile est, nam fraternitas tres distinctos inter se exigit: duos filios inter se distinctos et patrem, qui quatenus est pater, ab uno et ab altero filio suo seu fratre distinguitur. Iam vero in praedicta suppositione prima Persona, quatenus esset Pater, a secunda Persona quae est noster frater et a quo deberet distingui non distingueretur.

2. Ex hac hypothese sequitur, nos habere specialem relationem fraternitatis ad secundam Personam, quatenus est distincta ab aliis et tamen huic relationi speciali fraternitatis non correspondere specialem relationem filiationis ad Patrem, quatenus est distinctus ab aliis Personis. Iam vero, si relationem habemus fraternitatis ad Verbum, quatenus opponitur Patri, eo ipso habemus relationem filiationis ad Patrem, quatenus opponitur Verbo.

3. Secundum sanctum Thomam nostra fraternitas cum Christo modo sequenti constituitur: Per gratiam summus filii Trinitatis et proinde etiam primae Personae. Haec vero prima Persona est pater naturalis Christi. Ergo Christus et nos sumus filii eiusdem patris, ideoque fratres inter se.

Si haec ratiocinatio vera esset, pariter et modo sequenti ratiocinari liceret: Per gratiam sumus filii totius Trinitatis et proinde etiam *secundae Personae*. Haec autem secunda Persona est Filius naturalis primae Personae. Ergo nos per gratiam sumus *nepotes* primae Personae.

Unde per gratiam secundum s Thomam essemus *simul*:

1. filii totius Trinitatis i. e. tota Trinitas esset noster Pater.

2. fratres Verbi, filii Patris i. e. Prima persona esset noster Pater, secunda vero noster Frater.

3. filii Verbi, nepotes Patris i.e. Prima persona esset noster Avus, secunda vero noster Pater.

Haec autem aegre sustineri possunt. Ideoque solutio sancti Thomae non satisfacit et ex nostra fraternitate cum Christo, quam docet Scriptura, concludendum est, nos esse filios primae Personae quatenus est distincta ab aliis, nullo modo autem filios totius Trinitatis.

His nostrum argumentum ex fraternitate cum Christo ad finem perduximus. Restat, ut solutio difficultatum tum ex S. Scriptura tum ex axiomatico de operatione Trinitatis ad extra promanantium praebeatur.

I I

«Sacra Scriptura docendo unicitatem nostri Patris caelestis et nostram cum Christo unionem atque nostram cum Christo fraternitatem supernaturalem, manifeste ostendit, nostrum Patrem caelestem esse illum, qui et in Trinitate Pater est.

Contra hoc nonnulli textus Sacrae Scripturae possunt adduci, qui contrarium affirmare videntur, et illud principium «actiones ad extra sunt totius Trinitatis», secundum quod tota Trinitas esset noster Pater per gratiam.

Ad satisfaciendum his difficultatibus praesens instituimus caput duabus constans partibus:

1. — Solutio difficultatum ex Sacra Scriptura promanantium

Diversi textus, qui e Sacra Scriptura contra nostram thesim adduci possunt, ad tria genera apte reducuntur: a) textus, qui nos *filios Dei* appellant, b) textus, qui nos *filios Verbi* proclamant, c) textus, qui homines per gratiam adoptatos *ex Deo natos* vocant.

a) *Textus, qui nos filios Dei appellant.* In Sacra Scriptura homines gratia justificati saepius vocantur *filii Dei*. Sic «Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem *filios Dei* fieri, his, qui credunt in nomine eius.» (Jo 1,12). «Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.» (Mat 5,9). «Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.» (R 8, 14). «Ipse enim

Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.» (R 8,16). «Omnes enim filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Jesu.» (Gal 3, 26). «Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus... carissimi, nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus.» (1 Jo 3,1).

Ex adductis textibus et his similibus hoc modo potest confici argumentum: Sacra Scriptura ordinarie nos vocat filios Dei, numquam filios Patris. Nomen vero «Deus ordinarie totam Trinitatem significat. Huiusmodi ergo Sacrae Scripturae locutio sat clare ostendit, nos esse filios totius Trinitatis, et non solius Patris.

Ad hanc difficultatem facile datur responsum: Nomen «Deus» dupliciter sumi potest: pro tota Trinitate et pro singulis personis. Quando Christus «Filius Dei» «verus Filius Dei» «Logos Dei» «Imago Dei invisibilis» a Scriptura vocatur, certe nomen «Dei» primam significat Personam. Unde ex eo, quod Scriptura nos filios Dei vocat, concludere non possumus, nos esse filios totius Trinitatis.— Imo, si admittitur illud, quod Karl Rahner, in suo articulo «Gott als erste trinitarische Person» ostendere intendit, nostri textus Sacrae Scripturae docent, nos esse filios primae Personae. Secundum enim commemoratum scriptorem in NT $\delta \theta ε ο ς$ numquam usurpatur de tota Trinitate; $\theta ε ο ς$ tantum sexies de Christo praedicatur; in omnibus reliquis casibus Patrem significat. (1)

1. Karl Rahner, «Gott» als erste trinitarische Person, Zeitschrift für Kath. Theologie, 1942. 66. Band, 2/3, Heft, p.84.sq.: »Nirgends im NT gibt es eine $\delta \theta ε ο ς$ Stelle, die man eindeutig auf den trinitarischen Gott als Ganzen in der Dreiheit der Personen beziehen müsste. Es besteht eine überwältigende Fülle von Stellen, wo mit $\delta \theta ε ο ς$ der Vater als trinitarische Person gemeint ist. Dabei ist zu beachten, dass wohl an den Stellen, an denen eine Aussage über $\delta \theta ε ο ς$ gemacht, ohne dass sich aus ihnen selbst etwas eindeutig entnehmen lässt, wer genau gemeint sei, nie die Aussage etwas beinhaltet, was nicht an anderem Stellen von dem Gott gesagt wird, der an oben diesen anderen Stellen (direkt oder indirekt) als Vater im trinitarischen Sinn sich erkennen lässt. Daneben gibt es sechs ganze Stellen, wo $\theta ε ο ς$ eben noch zögernd und offensichtlich gehemmt (natürlich nicht durch eine Hemmung, in der Sache, sondern durch eine Hemmung aus der sprachlichen Bedeutung des Wortes) von der zweiten Person der Trinität gesagt wird. Dazu kommt, das $\delta \theta ε ο ς$ im NT vom $\piνεϋμα \acute{\alpha}γιον$ nie ausgesagt wird. Dieser Befund rechtfertigt schon jetzt die Behauptung: Wen in NT von $\delta \theta ε ο ς$ die Rede ist, dann ist (mit Ausnahme der sechs genannten Stellen) der Vater als die erste trinitarische Person bezeichnet.»

b) *Textus, qui nos filios Verbi proclamant.* Sacra Scriptura saepius inuit, nos esse filios Verbi. Sic ex gr. Christus paralyticum iacentem in lecto alloquitur: «*Confide filii, remittuntur tibi peccata tua.*» (Mt 9, 2). Ad quaestionem discipulorum Ioannis quare discipuli eius non ieiunent, Jesus respondet: «*Numquid possunt filii Sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?*» (Mt. 9,2) Relinquens autem mundum discipulos suos sic consolatur: «*Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.*» (Jo 14, 18). Secundum itaque Scripturam: Christus nos vocat suos filios; ille est Sponsus, nos filii Sponsi, sine eo nos sumus orphani i.e. filii sine patre. Quodsi ita est, non tantum prima Persona, sed et secunda Persona, et consequenter tota Trinitas est noster Pater per gratiam.

Ad propositam difficultatem duplex dari potest responsum:

1. Negari potest, iis textibus nos vero sensu vocari filios Christi. Patres quidem saepius textus adductos de nostra filiatione intelligunt, at id non necessarium videtur. Sic ex gr. Augustinus instituens commentarium in illa verba «*Non relinquam vos orphanos*» scribit: «*Orphani, pupilli sunt. Illud enim graecum eiusdem rei nomen est, hoc latinum: nam et in psalmo, ubi legimus, Pupillo tu eris adiutor (Ps. IX, 14), graecus habet orphano. Quamvis ergo nos Filius Dei suo Patri adoptaverit filios, et eundem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui eius Pater est per naturam; tamen etiam ipse circa nos paternum affectum quodammodo demonstrat, cum dicit, Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos. Hinc est quod etiam Sponsi filios nos appellat, ubi dicit: Veniet hora, ut auferatur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt filii sponsi (Mt IX, 15). Quis autem sponsus, nisi Dominus Christus?» (2) Attamen textus Sacras Scripturae possunt et alio modo intelligi.*

Illud «*Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*» eodem modo potest intelligi ac illa verba s. Pauli «*Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*» (Gal 4, 19) seu verba s. Ioannis toties repetita: «*Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.*» (Jo 3, 18). Et sicut ob haec verba nemo Paulum vero sensu Patrem Galatarum nec Ioannem patrem suorum ovium, quibus scribebat,

2. Augustinus, In Ioannis Evangelium, Tractatus 75, c.14, 18-21, M L 35. 1829.

vocare audet, ita nec Christus ob similia verba Pater noster vacandus est.

Illa verba: «Numquid possunt *fili*i Sponsi iugere, quamdiu cum illis est sponsus» hebraicae sunt constructionis. «Filius sponsi» habraice est dictum et significat «comes Sponsi» seu «e cohorte sponsi» sicut et «filius lucis» significat «lucifer» et «filius viae» significat «viator».

Illa quoque verba «Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos» metaphorico possunt intelligi sensu. Christus enim erat turmae apostolicae thaumaturgus, orator ac materialis providentia. Hinc apte apostoli, Christo orbat, orphani dicuntur.

2. Quodsi moti his textibus tamen admittimus, Christum esse nostrum Patrem in ordine gratiae, dicendum est, id Christum esse, quatenus est sponsus Ecclesiae, non autem, quatenus est creator gratiae. Ipsa enim Christi praedicatio exhibetur ab ipso Domino, ut tempus sponsalium, quibus peractis Sponsus a sponsa i.e. ab Ecclesia auferetur. (Mt 9, 15; Mc 2,19; Lc 55,34). Christus morti se tradidit pro sua sponsa, ut eam sanctificet, sanctamque et immaculatam efficiat. (Eph.5, 25-28). Christus suam sponsam sanguine suo acquisivit, nutrit et fovet, atque cum ipsa caro est una (Eph 5, 29-31). Haec unio sponsalis in caelis perficietur (Apoc 21, 2-9 et 22, 17). Eandem veritatem patres innumeris modis praedicant. (3) Ecclesia vero ut sponsa Christi facta est Mater, parens fidelium, mater viventium. Omnes nos per baptismum regenerati filii evadimus Matris Ecclesiae. Quodsi vero per baptismum filii sponsae i.e. Ecclesiae sumus, per eundem baptismum et filii Sponsi i.e. Christi esse debemus. Unde verum est, nos per gratiam fieri quodammodo filios Verbi.

Circa hanc tamen filiationem duo sunt animadvertenda:

Haec nostra filiatio relate ad Verbum non potest dici adoptiva, sicut illa, quae surgit per gratiam in nobis ad Deum. Quis enim dicere potest, nos esse filios *adoptivos* Ecclesiae. Quodsi non sumus filii adoptivi Sponsae, nec adoptivi Sponsi i.e. Verbi dicendi sumus. Ex hoc sequitur hanc relationem nostrae filiationis ad Verbum non posse identificari cum nostra filiatione adoptiva ad Deum, de qua agit nostra thesis et hanc paternitatem Filii nullatenus offendere paternitatem primae Personae relate ad nos per adoptionem, sed utramque pos-

3. Cfr. Sebastianus Tromp S.J.: *Corpus Christi quod est Ecclesia*, Romae 1946, pp. 26-53.

se bene simul stare. De duplici hac paternitate earumque connexionem inspicias ex gr. s. Cyrilli Alex. Glaphyrorum in Genesim lib. VI. (4).

Haec nostra filiatio est ad Verbum, quatenus est sponsus Ecclesiae. Sponsus autem Ecclesiae est, quatenus est persona distincta a Patre et Spiritu Sancto. Pater enim et Spiritus Sanctus non dicuntur Sponsus Ecclesiae. Unde Verbum, ut distinctum a Patre et Spiritu Sancto est noster pater. Ex eo ergo, quod Sacra Scriptura docet nos esse et filios Verbi, minime licet concludere nos esse filios totius Trinitatis, nam quatenus filii Trinitatis essemus, Verbum esset noster Pater, non quatenus est distinctum a Patre et Sp Sto, sed quatenus est idem cum eis. Hoc autem probare intendebat obiectio.

c. *Textus, qui homines per gratiam adoptatos ex Deo natos vocant.* Secundum Sacram Scripturam Deus suos filios adoptivos *gignit* (Jac 1, 18) *semen* Dei in iis manet (1 Io 3,9), ipsi sunt *ex Deo nati* (Io 1,13). Haec autem spiritualis natiuitas est a tota Trinitate. A quo vero quis nascitur eius filius est. Sumus ergo secundum Scripturam filii totius Trinitatis, non autem solius Patris.

Hanc difficultatem in sequenti articulo plene dissolvere conabitur. In praesenti notare sufficiat, nec Scripturam nec Ecclesiam semper vocare aliquem filium eius, a quo dicit esse natum. Ita ex gr. Scriptura dicit, nos regenerari, renasci ex *aqua* et Spiritu Sancto. Nemini tamen in mentem venit, ut nos propterea filios aquae dicat. Secundum Rufinum in symbolo Apostolico legebatur: «Credo... et in Christo Iesu, unico filio eius, Domino nostro, que *natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*» et nemo umquam Ecclesiae consentiens Christum filium Spiritus Sancti esse intellexit. (5) Ad rem bene dicit Augustinus: «Hic ergo cum confiteamur natum de Spiritu Sancto et Virgine Maria, quomodo non sit filius Spiritus Sancti et sit filius Virginis Mariae, cum et de illo et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio quippe non sic de illo ut de patre, sic autem de illa ut de matre natus est.» (6) Et dein prosequitur: «Non igitur concedendum est quidquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittan aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pedicu-

4. M G 69.327-330.

5. Denz. 2.

6. Augustinus, De fide, spe et caritate, c. 28, M L 40. 252.

lum, lumbricum, quorum nihil est filius: ut ergo haec omittam quoniam tantae rei deformiter comparantur, certe qui nascuntur ex aqua et Spiritu Sancto, non aquae filios eos rite dixerit quispiam: sed plane dicuntur filii Dei Patris et matris Ecclesiae. Sic ergo de Spiritu Sancto natus est filius Dei Patris, non Spiritus Sancti. Nam et illud quod de capillo et de ceteris diximus, ad hoc tantum valet, ut admoneamur non omne quod de aliquo nascitur, etiam filium eius de quo nascitur posse dici.

Sicut non omnes qui dicuntur alicuius filii consequens est de illo etiam nati esse dicantur; sicut sunt qui adoptantur.»

(7) Licet ergo sacra Scriptura doceat nos per gratiam nasci a Deo, tamen non debemus concludere, nos esse filios Dei ut auctoris gratiae i. e. totius Trinitatis.

2.— Principium illud «actiones ad extra sunt totius Trinitatis» non obstat, quin tantum prima Persona noster Pater sit.

Ratio, ob quam impossibile esse dicitur, ut tantum prima Persona sit noster Pater per gratiam, petitur ex illo axiomate: Actiones ad extra sunt totius Trinitatis. Gratia enim, qua nos in filios Dei adoptamur, a tota Trinitate ut uno principio actionis ad extra procedit. A quo autem procedit gratia adoptionis, eius sumus et filii. Necesse enim est, ut nostra adoptiva filiatio utpote effectus totius Trinitatis, ad illam referatur, ut suam causam. Intelligi enim non potest, relationem, quae fundatur in actione totius Trinitatis, non terminari in tota Trinitate, sed in sola persona Patris. Difficultas sine dubio magna at non indissolubilis.

Licet enim prima persona dicenda sit sola «Pater noster», Pater nihil proprium agit in nostra adoptione, nec nostra filiatio ut effectus magis ad illum ut suam causam, quam ad duos alios terminatur. Cum enim ponimus thesim, solam primam Personam vocandam esse «Pater noster», non intendimus affirmare, per receptionem gratiae in nobis surgere relationem ad solam primam Personam, non autem ad omnes tres. Admittimus nempe, per gratiam oriri in nobis relationem, quae terminatur et ad Patrem et ad Filium et ad Spiritum Sanctum, sed simul affirmamus hanc relationem, quatenus terminatur ad Patrem habere rationem filiations, quatenus autem eadem relatio terminatur ad Filium et Spiritum Sanctum, hanc relationem non habere.

Ad huius rei evidentiam sequentem trado explicationem: Effectus refertur relatione reali ad suam causam. Omnis autem effectus dupliciter potest considerari; quatenus est effectus i.e. aliquid fluens e potentia agente et quatenus est *talis* effectus: filius ex gr. et non cogitatio. In priori casu effectus habet ut terminum suae relationis potentiam activam, a qua procedit. In posteriore casu terminus relationis variare potest pro indole ipsius effectus: sic cogitatio refertur relatione reali ad potentiam, a qua procedit, filius autem non item. Filius enim non refertur ad potentiam generativam, sed ad hypostasim ipsam seu patrem. Haec firmiter prae oculis tenenda sunt, cum ponimus quaestionem, quid sit terminus nostrae adoptionis per gratiam. Gratia enim considerari potest, quatenus est effectus et quatenus est *talis* effectus.

Gratia ut *talis* effectus est participatio vitae supernaturalis. Quomodo gratia sit participatio vitae supernaturalis, res est notissima e dogmatica theologia. Tantum unum respectum huius participationis hic exponere necesse videtur.

Filius, cum sit Dei Verbum a Patre procedens secundum quod Pater se et omnia intelligit, praeter realem relationem quam ad Patrem habet, specialem relationem rationis habet ad ea omnia, quae Pater illo et in illo dicit. Ratione huius relationis Filius est omnium rerum idea aeterna, ita ut ipse sit, ad cuius exemplar omnia sint condita. (8) Itaque Verbum, sicut est nostrum exemplar in ordine naturae, quatenus sumus creaturae, ita etiam est nostrum exemplar in ordine supernaturali, quatenus sumus gratia elevati, licet alio atque alio modo sit nostra assimilatio ad Verbum, ut nostrum exemplar in ordine naturali et in ordine supernaturali. S. Thomas modum huius assimilationis sic describit: «Filius Dei naturaliter procedit a Patre, ut verbum intellectuale, unum cum ipso Patre existens: huic ergo verbo tripliciter potest aliquid assimilari: uno quidem modo secundum rationem formae, non autem secundum intellectualitatem ipsius: sicut forma domus exterius constitutae assimilatur verbo mentali artificis secundum speciem formae, non autem secundum intellectualitatem; quia forma domus in materia non est intelligibilis, sicut erat in mente artificis. Et hoc modo Verbo aeterno assimilatur quaelibet creatura, cum sit facta per Verbum: secundo modo assimilatur

8. Cfr. Gallier, De SS. Trinitate in se et in nobis. Parisiis, 1933, p. 234.

creatura Verbo, non solum quantum ad rationem formae, sed etiam quantum ad intellectualitatem ipsius: sicut scientia, quae fit in mente discipuli, assimilatur verbo quod est in mente magistri: et hoc modo creatura rationalis, etiam secundum suam naturam, assimilatur Verbo Dei: tertio modo assimilatur creatura Verbo Dei aeterno *secundum unitatem, quam habet ad Patrem quod quidem sit per gratiam, et charitatem.*» (9)

Gratia itaque secundum Stum Thomam assimilatur Verbo per supernaturalem similitudinem, i. e. «secundum unitatem, quam habet ad Patrem.» Patres etiam saepius id affirmant. Dicunt enim, nos gratia effici ad imaginem Filii, ei assimilari, eumque participare. «Nos enim, ait S Athanasius, cum ipsius Filii participes efficiamur, Dei participes esse dicimur.» (10) S. Basilius dicit: «Imago vero Filii Spiritus; et qui huius fiunt participes, *filii conformes* efficiuntur.» (11). S. Gregorius Nyss: «Baptismus est... Spiritus assectatio, *Verbi participatio.*» (12) «S. Chrysostomus: «Etenim, si Christus est Filius Dei, tu vero illum induisti, cum habes Filium in te et in illum *per similitudinem* transformatus es in eandem cognationem unamque speciem perductus es.» (13). S. Cyrillus Alex.: «Obsignati enim sumus Sancto Spiritu ad effigiem et similitudinem vultus Patris, hoc est Filii.» (14)

Testibus ergo et patribus et theologis gratia nos efficit similes Filio. Haec nostra relatio similitudinis terminatur ad Filium ut distinctum a Patre et Spiritu Sancto. Aliis verbis: Verbum, qua Verbum habet rationis relationem similitudinis ad nos in gratia constitutos. Relatio haec est ipsi exclusive propria et personalis, quippe qui solus, in Trinitate, est nostrum exemplar etiam in ordine supernaturali et quidem «ratione ipsius suae processions», ut notat Galtier. (15)

Contra hoc potest obici: Quidquid importat respectum ad creaturas essentialiter in divinis dicitur; sed Verbum non dicitur essentialiter, sed personaliter. Ergo Verbum non potest importare respectum ad creaturas, nec specialem relationem ad nos habere.

-
9. S. Thomas, Summa th. III, q. 23, a. 3, c.
 10. S. Athanasius, Oratio I contra Arianos, M G 26, 47.
 11. S. Basilius. Adversus Eunomium, lib. V. M G 29. 726.
 12. Gregorius Naz., Oratio XL. In sanctum Baptisma, M G 36. 362.
 13. Chrysostomus. In Cap. III. Epistolae ad Galat. Comment., M G 61. 655.
 14. S. Cyrillus Alex., De SS. Trinitate Dialogus V. M G 75. 946.
 15. 1. c.

Ad hanc difficultatem S. Thomas sic respondet: «In nomine personae includitur etiam natura oblique. Nam persona est rationalis naturae individua substantia; in nomine igitur Personae divinae, quantum ad relationam personalem, non importatur respectu ad creaturam, sed importatur in eo, quod pertinet ad naturam. Nihil tamen prohibet, in quantum includitur in significatione eius essentia, quod importetur respectus ad creaturas. Sicut etiam proprium est filio, quod sit filius; ita proprium est ei, quod sit genitus Deus, vel genitus creator, et per hunc modum importatur relatio ad creaturam in nomine Verbi.» (16) Ratio igitur, cur Filius, referatur ad nos in gratia constitutos relatione similitudinis est divina essentia, quatenus Filio est propria i.e. ei communicata per generationem. Hinc licet Filius referatur ad nos ratione suae essentiae, quae tribus communis est, tamen refertur ad nos ut Filius, distinctus ab aliis duobus, non ut Deus, indistinctus ab aliis.

Gratia ergo potest considerari quatenus est effectus et quatenus est *talis* effectus. Gratia ut *talis* effectus est sub uno respectu similitudo supernaturalis cum Filio naturali. Cum ergo ponimus quaestionem, quomodo nos gratia ad Deum referat, gratiam in nostro casu rascipere debemus ut similitudinem supernaturalem cum Filio Dei productam in nobis a tota Trinitate.

Haec animadvertenda erant quoad gratiam. Adhuc nonnulla animadvertere debemus quoad Deum agentem ad extra.

Trinitas est unum principium actionum ad extra. Pater et Filius et Spiritus Sanctus creant, non ut tres distincti, sed ut unum in essentia. Relatio rationis, quae ob hanc actionem Deo tribuitur, duplici genere nominum relativorum exhiberi potest: nomine substantivo et nomine adiectivo. Data creatioe, Deus recte dicitur Creator et Creans. Etsi haec nomina «creator» et «creans» eandem relationem exprimant, tamen illam diverso modo significant. «Creator» illam significat in essentia divina ut subiecto sine respectu ad tria supposita, quibus haec essentia inest. «Creans» vero eandem relationem significat ut in supposito, cuius est essentia. Hinc »Creator» praedicatur de tribus personis singulariter tantum et non pluraliter. Pater et Filius et Spiritu Sanctus sunt unus Creator,

16. S. Thomas, Summa Th. I, q. 34, a. 3, ad 1.

non tres Creatores. «Creans» vero praedicatur de tribus personis pluraliter, propter pluralitatem suppositorum. Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres creantes. Quodsi ita est, dicendum est, relationem illam rationis, quae in Deo ex creatione sequitur, denominare simul et essentiam divinam et tres Personas, quatenus sunt tres creantes. Consequenter relatio creaturae ut creaturae duplicem habet terminum: essentiam Dei et tres divinas Personas. Ad essentiam Dei creatura refertur ut ad principium creationis, ad tres autem Personas, ut ad tria subiecta, quibus hoc principium inest.

Haec prae oculis habendo, de productione gratiae sic sentire debemus: Pater et Filius et Spiritus Sanctus gratia efficiunt hominem similem Filio Dei. Ex hac productione surgit in homine, simili Filio Dei facto, relatio et ad essentiam divinam, ut principium gratiae et ad tres Personas, quibus hoc principium inest. In homine iusto surgit relatio ad *productorem* gratiae et ad *tres producentes* gratiam. Haec relatio quatenus terminatur in Deo, ut *productore* gratiae, non potest vocari filiatio adoptiva, quia productor, utpote nomen substantivum, designat essentiam divinam, quae pater esse nequit, nec proinde potest relationem filiationis terminare. Estne autem haec relatio filiatio adoptiva, quatenus terminatur et ad Patrem, et ad Filium et ad Spiritum Sanctum, ut ad tres producentes? Haec relatio non est relatio filiationis adoptivae, quatenus terminatur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, sed tantum quatenus terminatur ad Patrem.

Ut intelligi possit, cur eadem relatio, quatenus terminatur ad Patrem, sit filiatio, quatenus autem terminatur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, non sit filiatio, sequentia sunt notanda:

Pater, Filius et Spiritus Sanctus producant gratiam. Pater efficit gratiam, Filius efficit gratiam, Spiritus Sanctus efficit gratiam. Haec sunt sine dubio recte dicta. At, si in his locutionibus loco «gratiae» ponimus «similitudinem cum Filio Dei», quam gratia sui communicatione homini tribuit, haec habetur praedicatio: Pater efficit hominem *similem Filio suo naturali*. Filius efficit hominem *sibiipsi similem*. Spiritus Sanctus efficit hominem *Filio Dei naturali similem*. Vides hanc diversitatem locutionis, si gratiam consideras non ut effectum simpliciter, sed ut *talem* effectum. Similem modum loquendi habes quoad unionem naturae humanae cum persona

Verbi. Pater, Filius et Spiritus Sanctus aequaliter hanc unionem perfecerunt. Quodsi respicitur terminus unionis i.e. persona Verbi, hoc modo loquendum est: Pater univit naturam humanam *Filio suo*; Filius univit naturam humanam sibi; Spiritus Sanctus univit naturam humanam Filio Dei. Haec diversitas loquendi provenit ex eo, quod effectus procedens a tota Trinitate specialem relationem habet tantum ad unam Personam, non quatenus est effectus, sed quatenus est aliquid tale in ordine naturae. Ita Christi natura humana specialem relationem habet ad personam Verbi, non tanquam ad causam, sed tanquam ad subiectum, ad quod pertinet. Ita et gratia seu homo iustus specialem relationem similitudinis habet ad Verbum, non tanquam ad causam efficientem gratiae, sed tanquam ad causam exemplarem gratiae.

Pater est itaque solus in Trinitate, qui efficit homines actione Trinitati communi in similitudinem Filii sui naturalis. Et quia adoptare non significat *sibi* efficere similem vel *filio alterius*, sed suo proprio filio, solus Pater in Trinitate vocatur noster Pater, non autem Filius, qui *sibi* nos similes facit, nec Spiritus Sanctus, qui Filio Patris nos similes efficit. Sicut enim in generatione naturali idea exemplaris filii est pater, in cuius similitudinem filius fit, ita in adoptione idea exemplaris filii adoptivi est filius naturalis, in cuius similitudinem adoptatus ducitur. Sicut in generatione naturali filius naturalis participat patrem, ita in adoptione filius adoptivus participat filium naturalem. Eatenus est aliquis filius adoptivus, quatenus participant conditionem, ius et hereditatem filii naturalis. Et proinde nos sumus eatenus filii Dei adoptivi, quatenus per gratiam in similitudinem cum Filio Dei naturali ducimur. Patres id continuo inculcant. Nota est primorum patrum contra Arium argumentatio: Nos sumus filii adoptivi *per participationem Filii*, quod esset impossibile, si etiam *Λόγος* filius Dei adoptivus, non vero naturalis esset. Posteriores patres etiam inculcant nos fieri filios adoptivos per participationem Verbi. Sufficiat audire Sanctum Cyrillum Alexandrinum: «Hoc enim pacto servi ad filiationem vocantur, per veri Filii participationem, ad dignitatem ei naturaliter inexistentem vocati et quodammodo eVecti». (17) Alio quodam loco dicit: «Igitur ad dignitatem supernaturalem ascendimus propter Christum, verumtamen non sicut ille, nullo plane

17. S. Cyrillus Alex., In Ioannis Evangelium, lib.I. M G 73.155.

discrimine nos quoque futuri sumus Dei Filii, sed *ad eius similitudinem, per gratiam nimirum*, qua illum imitando repraesentamus.» (18) «Sicut igitur imagines sunt ergo archetypa, ita et nos per adoptionem filii erga eum sumus, qui suapte natura ac veritate vereque Patris testimonio talis est declaratus.» (19) «Si enim nos de huius saeculi facta ad humilia demittamus, tunc certe supernam gloriam vicissim recipiemus, eoque evehemur, ut dii simus per gratiam, *ratione similitudinis* cum vero naturalique Filio filiorum Dei appellationem sortiti.» (20) «Et conformitatem spiritualem cum eo, qui natura ac vere est Filius, adepti, Deum vocemus Patrem.» (21) «Idcirco nos ipsi quoque, licet servitute naturali Deo subiaceamus, Patrem vocamus Deum, conformationem ad Filium id habentes.» (22) Ex his omnibus textibus clare elucet nos ob similitudinem cum Filio Dei naturali vocari et esse filios Dei adoptivos.

Idem sentit et S. Thomas: «Dicuntur autem aliqui Filii Dei, inquantum participant similitudinem Filii unigeniti, et naturalis, secundum illud Rom. 8.: Quos praescivit conformes fieri imagini Filii sui, qui quidem est sapientia *genita*; et ideo participando domum sapientiae, ad Dei filiationem homo pertingit.» (23) Interpretans vero v. 29, c.8 epistolae ad Rom. Stus Thomas dicit: Nihil aliud est adoptio filiorum quam illa conformitas. Ille enim, qui adoptatur in filium Dei, conformatur vero Filio eius, primo quidem in iure participandae hereditatis...., secundo in participatione splendoris ipsius.» Eundem locum Sacrae Scripturae interpretans *Toletus* scribit: «Cur non dicitur: Conformes Filio, sed imagini Filii? Respondeo: Si diceret Paulus, «Conformes fieri Filio», non exprimebat, in qua re haec esset conformitas. Dum autem dicit: conformes fieri imagini Filii, indicat similitudinem esse *in filiatione, ut sint filii*, sicut et Christus Filius est. Non tamen eodem modo. Nam Filius ideo imago Patris est, quia Filius est naturalis; *conformari igitur imagini Filii est, effici filium* similemque esse ei in eo, quod Filius et imago Patris est.» (24)

Quodsi sumus filii Dei ob similitudinem cum Filio Dei na-

-
18. « ibid. M G 73.154.
 19. « In epistolam ad Romanos, M G 74.775.
 20. « In Ioannis Evangelium, Ijb III, M G 73.463.
 21. « Quod unus sit Christus, M G 75.1271.
 22. « De SS. Trinitate, Dialogus V. M G 75.975.
 23. S. Thomas, Summa th. II-2, q 45, a. 6. c.
 24. Secundum citationem Reithmayr, Kommentar zum Briefe an die Römer, Regensburg, 1845, c. 8 v. 29.

turali, facile patet, cur filii Patris tantum simus. Adoptatus enim illius est filius qui adoptatum assumit in similitudinem filii sui naturalis. Iam vero tantum Pater in Trinitate nos assumit in similitudinem sui Filii naturalis, Filius autem et Spiritus Sanctus non item, licet simul cum Patre idem agant.

Ad quaestionem ergo, cur tantum Patris simus filii, licet tota Trinitas in nobis gratiam efficiat, ita breviter respondere possumus:

Actio adoptionis est totius Trinitatis. Ratione huius actionis relationem habemus ad totam Trinitatem, ut unum *productorem* gratiae et ad Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ut ad tres *producentes* gratiam. Quatenus haec relatio terminatur ad Patrem, ut *producentem* gratiam, haec relatio habet rationem filiationis adoptivae, quia Pater per gratiam similes nos facit Filio suo naturali. Eadem relatio, quatenus terminatur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, ut producentes gratiam, non habet rationem filiationis adoptivae, quia Filius et Spiritus Sanctus per gratiam nos non faciunt «ad imaginem Filii sui.»

Ex hoc sequitur aliqua diversitas in usu vocis «adoptare». Si adoptare significat *actionem*, quo quis in filium assumitur, sic tota Trinitas adoptat. Haec *actio* adoptionis appropriari potest secundum alium et alium respectum alii et alii personae SS. Trinitatis. Si vero adoptare significat, non tantum actionem, sed etiam terminum, cui quis in filium assumitur, sic tantum Pater adoptat, Filius vero et Sp.S. non sibi sed Patri adoptant. Huiusmodi adoptio est Patri propria.

Ad rem illustrandam exemplum adducam: Postquam Christus Dominus baptizatus fuerat a Ioanne in Iordane, aperti sunt ei caeli et vox de caelo audita est: «Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.» (Mt. 3, 17) Haec verba efficienter, utpote effectus ad extra, sane sunt totius Trinitatis et tamen non Trinitas, sed Pater supra Iordanem *formaliter* loquebatur. Cur? Quia haec locutio, prout est effectus, ad totam quidem referenda est Trinitatem ut ad suam causam, sed, prout est talis effectus, locutio sed., ad solum referenda est Patrem, qui Christum suum filium vocat. Vides hanc diversitatem, si effectus, qui a tota producitur Trinitate, sub respectu suo formali consideratur.

Quae de modo nostrae adoptionis per gratiam hoc in loco diximus tantum valent, quantum supponitur, nos formaliter fieri filios per gratiam ipsam. At ex argumento, quod ex nos-

tra cum Christo unione, astruximus, sequitur, nos iam per characterem adoptari, per gratiam vero adoptionem nostram tantum compleri seu perfici. Restat ergo, ut demonstretur, quomodo per unionem cum Christo solus Pater nos adoptet.

autem per characterem exorta in solo Verbo i.e. Filio consu-

Character absque dubio a tota producit Trinitate. Unio autem per characterem exorta in solo Verbo i.e. Filio consumatur. Propterea solus Pater per characterem nos iungit Filio suo. Quia vero in hac oeconomia adoptare significat suo naturali Filio iungere, solus Pater per characterem nos adoptat.

Conclusio

Aperta est quaestio inter theologos de subiecto, quod vocandum sit «Pater noster». Nobis autem videtur Sacram Scripturam ad hanc quaestionem decisivum dare responsum. Ideoque triplici argumento ostendere conati sumus, nos esse secundum Scripturam filios tantum primae Personae SS. Trinitatis: argumento ex unicitate nostri patris caelestis, argumento ex nostra cum Christo unione et argumento ex nostra cum Christo fraternitate supernaturali. His minime excludimus possibilitatem adstruendi et alia argumenta ex Sacra Scriptura.

turali, facile patet, cur filii Patris tantum simus. Adoptatus enim illius est filius qui adoptatum assumit in similitudinem filii sui naturalis. Iam vero tantum Pater in Trinitate nos assumit in similitudinem sui Filii naturalis, Filius autem et Spiritus Sanctus non item, licet simul cum Patre idem agant.

Ad quaestionem ergo, cur tantum Patris simus filii, licet tota Trinitas in nobis gratiam efficiat, ita breviter respondere possumus:

Actio adoptionis est totius Trinitatis. Ratione huius actionis relationem habemus ad totam Trinitatem, ut unum *productorem* gratiae et ad Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ut ad tres *producentes* gratiam. Quatenus haec relatio terminatur ad Patrem, ut *producentem* gratiam, haec relatio habet rationem filiationis adoptivae, quia Pater per gratiam similes nos facit Filio suo naturali. Eadem relatio, quatenus terminatur ad Filium et ad Spiritum Sanctum, ut producentes gratiam, non habet rationem filiationis adoptivae, quia Filius et Spiritus Sanctus per gratiam nos non faciunt «ad imaginem Filii sui.»

Ex hoc sequitur aliqua diversitas in usu vocis «adoptare». Si adoptare significat *actionem*, quo quis in filium assumitur, sic tota Trinitas adoptat. Haec *actio* adoptionis appropriari potest secundum alium et alium respectum alii et alii personae SS. Trinitatis. Si vero adoptare significat, non tantum actionem, sed etiam terminum, cui quis in filium assumitur, sic tantum Pater adoptat, Filius vero et Sp.S. non sibi sed Patri adoptant. Huiusmodi adoptio est Patri propria.

Ad rem illustrandam exemplum adducam: Postquam Christus Dominus baptizatus fuerat a Ioanne in Iordane, aperti sunt ei caeli et vox de caelo audita est: «Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.» (Mt. 3, 17) Haec verba efficienter, utpote effectus ad extra, sane sunt totius Trinitatis et tamen non Trinitas, sed Pater supra Iordanem *formaliter* loquebatur. Cur? Quia haec locutio, prout est effectus, ad totam quidem referenda est Trinitatem ut ad suam causam, sed, prout est talis effectus, locutio sed., ad solum referenda est Patrem, qui Christum suum filium vocat. Vides hanc diversitatem, si effectus, qui a tota producitur Trinitate, sub respectu suo formali consideratur.

Quae de modo nostrae adoptionis per gratiam hoc in loco diximus tantum valent, quantum supponitur, nos formaliter fieri filios per gratiam ipsam. At ex argumento, quod ex nos-

tra cum Christo unione, astruximus, sequitur, nos iam per characterem adoptari, per gratiam vero adoptionem nostram tantum compleri seu perfici. Restat ergo, ut demonstretur, quomodo per unionem cum Christo solus Pater nos adoptet.

autem per characterem exorta in solo Verbo i.e. Filio consu-

Character absque dubio a tota producit Trinitate. Unio autem per characterem exorta in solo Verbo i.e. Filio consumatur. Propterea solus Pater per characterem nos iungit Filio suo. Quia vero in hac oeconomia adoptare significat suo naturali Filio iungeré, solus Pater per characterem nos adoptat.

Conclusio

Aperta est quaestio inter theologos de subiecto, quod vocandum sit «Pater noster». Nobis autem videtur Sacram Scripturam ad hanc quaestionem decisivum dare responsum. Ideoque triplici argumento ostendere conati sumus, nos esse secundum Scripturam filios tantum primae Personae SS. Trinitatis: argumento ex unicitate nostri patris caelestis, argumento ex nostra cum Christo unione et argumento ex nostra cum Christo fraternitate supernaturali. His minime excludimus possibilitatem adstruendi et alia argumenta ex Sacra Scriptura.

BIBLIOGRAPHIA

- AUER J., *Der Heilige Geist, der Geist der Gotteskindschaft. Geist und Leben*, 21 (1948), p.277-94.
- * BAUHOFFER O., *Maske und Ebenbild*. Luzern, 1950.
- BITTREMIEUX J., *Utrum unio cum Spiritu Sancto sit causa formalis filiationis adoptivae iusti?* Eph.Theol.Lov.,10 (1933), p. 427-440.
- * BOGAERTS E.P., *Ujt God geboren. Ons Geloof*, 25 (1939), p. 153-167.
- CATHERINET F.M., *La sainte Trinité et notre filiation adoptive. Vie spirituelle*, t. 39 (1934), p. 113 ssq.
- CUTTAZ Fr., *L'enfant de Dieu. Essai sur l'esprit filial*. Paris, 1932.
- DEY J., *παλιγγενεσία* Ein Beitrag zur Klärung der religionsgeschichtlichen Bedeutung von Tit 3,5. 1937.
- DOCKS S., *Fils de Dieu par grâce*. Paris, 1948.
- GARRIGOU-LAGRANGE R., *La grâce est-elle une participation a la déité telle qu'elle est en soi*. Revue thomiste, nouv. série, 19 (1936), p. 470 ssq.
- GLORIEUX P., *Le Christ adorateur du Père*. Revue des sciences religieuses. 23 (1949) n. 3-4, p. 245-269.
- JANSSENS L., *Notre filiation divine d'après saint Cyrille d'Alexandrie*. Eph. Theol. Lov. (1938), p. 233-278.
- JORET F.D., *Notre intimité, avec le Fils de Dieu*. Vie spirituelle, 39 (1936), p. 227, 326.
- KARRER O., *Die Gotteskindschaft*. 1934.
- KETTER P., *Unesere Gotteeskindschaft*. Münster, 1940.
- * LOHMEYER E., *Das Vater-unser*. Göttingen, 1948.
- MERSCH E., *Filii in Filio*. Nouvelle revue théologique, t. 65 (1938), n. 5,6,7, p. 551-582; 681-702; 809-830.
- MULLER M., *Die Gotteskinder vor dem Vater. Ihr Werden, Sein u. Leben*. Freiburg i. B., 1938.

- RAHNER H., Eine Theologie der Verkündigung. Freiburg i.B., 1939.
- RAHNER K., «Gott», als erste trinitarische Person im NT. Zeitschrift für kath. Theologie, 66 (1942), p. 715 ssq.
* Theos im NT. Bijdr. 11, 1950, p. 212-236; 12, 1951, p. 24-52.
- * ROMUALDUS, OFMCAP, Ons Goodkindschap bij den hl. Athanasius en hl. Thomas. Studia cath., 21 (1946), p. 97-105.
- STONNER A., Der Lichtgedanke in der heiligen Schrift und Messliturgie. 1936.
- TERRIEN B., La grâce et la gloire ou la filiation adoptive des enfants de Dieu étudiée dans sa réalité, ses principes, son perfectionnement et son couronnement final. Paris, 1897.
- TWISSELMAN W., Die Gotteskindschaft d. Christen nach dem NT. Güttersloh, 1939.
- VILLADA, De effectibus formalibus gratiae habitualis. Vallisoleti, 1899.
- SCHEEBEN D.J., Natur u. Gnade. Freiburg i.B., 1941.
* Libros asterisco assignatos auctor absque sua culpa consulere non potuit.